

S V M M A R I V M.

1. *Moribus introductum quid dicatur?*
2. *Impuberum substitutio cur introducta?*
3. *Mulier in potestate liberos non habet.*
4. *Liberi impuberes dicuntur pupilli.*
5. *Liberis testamentum facere quid?*
6. *Miles etiam post an. XIII. non frustra pupillariter substituit liberis.*
7. *Neque requiritur, ut sint sui.*
8. *Qua in re suorum conditio melior est conditione emancipatorum.*
9. *Quibus postumis pupillariter possit substitui?*
10. *Substitutio avita quando non valeat?*
11. *Cur filii consensus exigitur, si quando pater nepotem sibi adoptat?*

12. *Quomodo nepotibus, quos patres antecedunt, tuto substitui possit?*
13. *Succeffione nepotum in locum patris testamentum non secus rumpitur, quam agnatione a praeterito.*
14. *Quid iuris, rupto per querelam testamento?*
15. *De vera huius loci lectione disputat, & quanam hic loci pertractetur quaestio, exponit.*
16. *An ad pupillarem substitutionem sufficiat, si in potestate tempore mortis reperiatur is, cui facta sit pupillaris substitutio?*
17. *Non necesse est, eum, cui pupillaris fit substitutio, esse suum.*
18. *Arrogatio quae & unde dicta?*

[1.] **M**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Moribus.*) Inveterata consuetudine populi consensu tacito approbata: ita enim *Mores* definit VLP IANVS. Et ea consuetudo legis vim habet. *l. de quibus 32. de leg. & S. C. & longa cons.* Nam lex XII. tab. qua iura testamentorum constituta sunt, de substitutione pupillari nihil cavet. Cavet enim, VTI QVISQVE LEGASSIT SVAE REI, ita ius esse. At qui pupillo substituit, bonis pupilli substituit, uti iam superius diximus. Inveterata consuetudo lege XII. tab. antiquior reperitur in *l. 1. decurat. fur. & al. &c.*

[2.] Ait Iureconsult. *Introductum est.*) Ne ista aetas alienis fraudibus obnoxia, propinquorum insidiis appeteretur.

[3.] Ait Iureconsult. *Vt quis.*) Non QVAE. Nam mulier in potestate liberos non habet. *l. illud. 4. §. ad testamenta 2. de bon. poss. cont. tab.*

[4.] Ait Iureconsult. *Liberis impuberibus.*) Quos diximus pupillos appellari in *l. ulti. §. ult. de verb. oblig.*

[5.] Ait Iureconsult. *Testamentum facere possit.*) Haeredem dare. Nam definitio testamenti, quae ponitur in *l. 1. de testam.* Secundis tabulis non convenit.

[6.] Ait Iureconsult. *Ad XIII. ann. perveniant.*) Post eam aetatem frustra impuberi substituit Paganus directo. *l. verbis 7. infra eod.* Miles non frustra. Nam ab eo facta post pubertatem pupillaris substitutio ad causam fidei commissi trahitur. *l. precibus 8. in secunda parte. C. de impub. & aliis.* de quo plura ad *l. Centurio. 15. infra eod.* Quod si longius tempus comprehensum sit in pupillari substitutione, finitur nihilominus pubertate substitutio. *l. in pupillari 14. infra eod.* Pervenisse autem ad XIII. annum intelliguntur, & qui non excesserunt. *l. qua aetate 5. qui testam. fac. poss. l. si ita legatum 65. de*

*leg. 1. neque a momento ad momentum postremum in hac parte iuris annum computamus: sed civiliter ad totum diem postremum: ut in l. anniculus. 2. de verb. sign.* Cum autem de restitutione minoris agitur, de momento ad momentum annum computamus, ut restitui in integrum possit, qui non excessit annum XXV. *l. denique 3. §. minore 3. de minoribus.* Momentum autem pro hora accipi in iure: ut in *d. l. anniculus. & d. §. minore.* scripsimus *lib. 1. lect. variarum.*

[7.] Ait Iureconsult. *Si sint in potestate.*) Neque requiritur, ut sint sui; de quo mox plura dicemus.

[8.] Ait Iureconsult. *Caeterum emancipatis non poss.*) In hoc suorum, quam emancipatorum melior conditio est; quamvis in quibusdam iuris partibus sui, quam emancipati deterior sit conditio. *l. Papinianus 8. §. quarta 9. de inoffic. testam.*

[9.] Ait Iureconsult. *Plane posthumis possimus.*) Et si pupilli non sunt. *l. pupillus est 239. de verbor. sign.* Sed perinde posthumis substituitur, ac si iam in potestate essent. Posthumi autem proprie dicuntur, qui post mortem testatoris nascuntur. *l. posthumi 3. de iniusto testam.* Improperie autem, qui post testamentum in vita testatoris nascuntur, ad quos pertinet prius caput legis *Velleiae.* Sed & iis, qui loco posthumorum esse dicuntur (hoc est, iis, qui in locum suorum succedunt. *l. posthumorum 13. de iniusto test.*) substitui potest, uti mox scribit Iureconsult. Posthumorum divisio una ponitur in *l. posthumus 12. de inoffic. test.* ut quidam sint sui, quidam legitimi, quidam cognati. Quae divisio eorum posthumorum est, qui de inofficioso agere possunt. Altera elegantior divisio ponitur in *§. posthumus. de leg. lib. II. Instit.* Non omnibus autem posthumis substituere possumus pupillariter: sed duntaxat suis, vel nepotibus, vel aliis deinceps. Et de posthumis, eorumque differentiis scripsimus ad *l. Gallus.*

[10.] Ait Iureconsult. *Si qui recasuri non sunt.*) Iis, qui in parentum recidunt potestatem, parentes ipsi testamenta facere possunt: ideoque substitutio avita non valet.

[11.] Ait Iureconsult. *Sed si eos pater praecedat.*) Vt in eorum potestatem recidere possint. Patrem autem non solum naturalem, verum & adoptivum accipere debemus. Nam quem nepotis loco adopto, quasi ex filio, mortuo me, in filii recidit potestatem, eique haeres fit. Qua de causa in eiusmodi adoptione filii consensus exigitur, ne ei invito haeres detur. *l. cum nepos 6. de adopt. facit l. si is, qui. II. eod. titul.* ubi nepos iste legitimus, quasi ex filio adoptatus, iura consanguinitatis consequitur cum naturalibus nepotibus ex eodem filio.

[12.] Ait Iureconsult. *Ita demum substitui eis potest.*) Consulit VLPIANVS, quemadmodum nepotibus iis, quos patres antecedunt, substitui tuto possit, hoc est, ita substitui, ut non evanescat pupillaris substitutio. *Institui igitur eos, ait, oportere, vel exhaereditari: ne in locum suorum succedentes (quo uno casu effectum habet substitutio) praeteriti rumpant testamentum: & per consequens extinguatur pupillaris substitutio.* Institui autem oportere ex formula legis *Velleiae*: neque enim aliter possunt, utpote quibus pater obstat. De quo scripsimus ad *l. Gallus*. Ita igitur testari debet, qui nepoti, quem pater antecedit, substituere vult pupillariter, **FILIVS HAERES ESTO, SI FILIVS ME VIVO SVVS HAERES ESSE DESINAT, TVM QVI MIHI EX EO NEPOS EST, HAERES ESTO. SI NEPOS HAERES ERIT, ET IN PVBERTATE DECEDET, SEIVS HAERES ESTO.** qua nepotis institutio fit ex *secundo cap. legis Velleiae*, uti scribit SCAEVOLA in *l. Gallus. 29. §. sequente parte 13.* & in *l. posthumorum 13. de iniusto test.* Ita enim post legem *Velleiam*. Ante legem *Velleiam* nepotes superstites institui quidem poterant, sed quemadmodum instituerentur, ignorabatur, utpote quos patres antecederent: itaque eveniebat, ut praeteriti nepotes successione rumperent necessario avorum testamenta. *d. l. Gallus. 29. §. ille casus 15.* Notandum insuper est, quemadmodum in formula *GALLI* nepotes posthumi *instituti* dicuntur, non *substituti*, ita & in formula legis *Velleiae* nepotes superstites dici *institutos* contra *BARTOLI* & *ACCVRSI* sententiam.

[13.] Ait Iureconsult. *Succedendo.*) Non patri, sed in locum patris; quo modo non secus, quam agnatione rumpitur a praeterito testamentum. Et quia successio speciem quandam habet agnationis, *d. l. posthumorum 13.* ideo Iureconsult. in *l. 1. de iniusto testam.* de successione tacuit, satisque habuit dixisse, *agnatione suorum rumpi testamenta.* Proprie autem *rumpi* dicitur, vel agnatione, vel successione testamentum. Nam superstites filii praeteriti, *iniustum*

*faciunt, d. l. posthumi 3.* ut rumpi nihil sit necessesse.

[14.] Quaerit hoc loco *ACCVRSIVS*, rupto testamento per querelam, quid iuris sit. De qua quaestione diximus ad *l. 1.* Rupto autem per bonorum possessionem contra tabulas, quid substitutione pupillari fiat, dicemus ad *l. ex duobus 34.* & ad *l. §. si contra 35. infra eodem.*

[15.] Ait Iureconsult. *Sed si extraneum.*) Quidam libri habent, *SED ET SI*, ut addere aliquid Iureconsult. ad superiora videatur. Mihi veterum codicum lectio placet, *SED SI*. Cum enim in *§. proximo superiore* docuisset Iureconsult. nepotem, quem pater antecedit, institui oportere: ne succedendo praeteritus rumpat testamentum: institui, inquam, ex formula legis *Velleiae*: aliter enim institutum haberi pro praeterito: subiicit, *extraneum ex formula legis Velleiae institui nihil necesse esse: & succedentem extraneum in locum sui non rupturum testamentum.* Quae est sententia legis *filio 23. §. ult. de lib. & posthum.* Neque hoc loco illud quaeritur, praecedere debeat substitutio arrogationem, an contra arrogatio substitutionem? sed illud duntaxat, quemadmodum extraneus institui possit, ne succedens in locum sui rumpat testamentum? extraneus, inquam, tempore institutionis, non substitutionis. Nam extraneo pupillariter substitui non potest. *§. ult. de pupill. substit. lib. II. Instit.* facit *l. si alienum 49. §. in extraneis. I. de haered. instit.* facit vulgaris iuris regula, *Quod ab initio non consistit, ex post facto convalescere non potest.* Quin & ipse *VLPIANVS* non obscure significat, praecedere oportere adoptionem. Ita enim scribit, *POTERIT EI SVBSTITVERE, SI EVM IN LOCVM NEPOTIS ADPTAVERIT.*

[16.] Itaque non assentior *BARTOLO*, qui post *ACCVRSIUM* scripsit, ex hoc *§.* probari, satis esse ad pupillarem substitutionem, si in potestate tempore mortis reperiatur is, cui facta pupillaris substitutio est. Vt autem locus hic planius intelligatur, paulo altius rem repetemus. Quemadmodum filium habens, nepoti ex eo impuberi substituere potest pupillariter: ita & filium habens potest nepotibus adoptivis pupillariter substituere: utrique autem nepotes tam adoptivi, quam naturales institui debent, vel exhaereditari: ne succedentes in locum filiorum, vivis adhuc avis, praeteriti rumpant testamentum. Itaque extinguatur pupillaris substitutio. Sed naturales, nisi ex formula legis *Velleiae*, institui non possunt. Adoptivi vero ante adoptionem institui vulgari modo possunt, eaque institutio sufficit, ne successione, quasi praeteriti, rumpant. *d. l. filio 23. de lib. & posthum.* sane post adoptionem institui ex formula legis *Velleiae* debent, non secus, quam naturales: & nisi ex dictae legis formula instituti, praeteriti censentur. *arg. d. l. filio 23.* Vt enim generaliter de-

finia-

finiamus, nepos, quem pater antecedit, nisi ex formula legis *Velleiae* institui non potest; de quo scripsimus ad *l. Gallus*. Quae autem dicta sunt de extraneis in locum nepotum adoptatis, qui & ipsi, ne succedendo rumpant, institui debent, ante adoptionem vulgariter, post adoptionem ex formula legis *Velleiae* intelligenda sunt, si quasi ex filio adoptati sint. Nam si simpliciter in locum nepotis, filius illis non obstabit, quo minus haeredes ex testamento esse possint, & institui vulgari modo, etiam post adoptionem. Certum enim est, in filiorum potestatem recedere eos duntaxat nepotes, qui quasi ex ipsis in locum nepotum adoptati sunt. Si enim filiis sui haeredes fiunt, & consanguinei nepotibus ex eodem filio. *d. l. si quis. 10. de adopt.* Ex quibus illud quoque sequitur, factam nepoti simpliciter adoptato, non quasi ex filio, substitutionem, valere etiam, filio superstite, in cuius, uti iam dictum est, potestatem non recidit mortuo avo: & per consequens, & bona & haereditatem habere potest.

[17.] Quaeret aliquis, num huiusmodi nepoti simpliciter adoptato obstet filius ab intestato? Et puto obstare, ut in bonorum possessione, unde liberi. Non est igitur necesse, suum

esse eum, cui fit pupillaris substitutio: satis est, esse in potestate. Vtrique autem, & qui quasi ex filio, & qui simpliciter adoptantur, decedentibus filiis vivo avo, in filiorum locum succedunt; neque enim filio succedunt, sed in locum filii. Nihil igitur in contextu mutandum censeo: sunt enim, qui legunt, **FILIO PRAEDECEDENTE**: sunt qui legunt, **VEL ARROGAVERIT PRAEDECEDENTES**.

[18.] Ait Iureconsult. *Adoptaverit, vel arrogaverit.*) Adoptio fit per magistratum, arrogatio per Principem. §. 1. *de adopt. lib. 1. Instit. l. generaliter 2. ff. eod.* Olim per populum fiebat arrogatio, uti scribit **GELLIUS lib. v. cap. xix.** & **M. TVLLIUS in orat. Pro domo sua.** Et quia populo rogato fiebat, dictam arrogationem idem **GELLIUS** scribit: quamvis **CAIVS** in *d. l. generaliter 2.* aliam rationem adferat huius nominis. Quid autem ad arrogati substitutum perveniat, scribit Iureconsult. in *l. sed si plures 10. §. in arrogato 6. infra eod.* Illud recte **ACCURSIVS** notat, adoptatos non utique hodie transire in adoptantium potestatem. §. 2. *de adopt. lib. 1. Inst.* & per consequens iis demum substitui hodie pupillariter posse, qui a naturalibus parentibus adoptantur.

M V I §. A I M M V 2

**Ait VLPPIANVS.** *QVISQVIS autem impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. Caeterum soli filio non poterit: nisi forte miles sit. Adeo autem, nisi sibi quoque fecerit, non valet; ut, nisi adita quoque patris haereditas sit, pupillare testamentum evanescat. Plane si omissa causa principalis testamenti, ab intestato possideatur haereditas: dicendum est & pupillo substitutum servandum.*

S V M M A R I V M.

1. Tabulae pupillares valent, quasi appendix paterni testamenti; nec necesse est, ut filio separatim heres scribatur.
2. Pupillaribus tabulis testamentum non sustinetur.

3. Exheredatus, omittente instituto, ab intestato sine metu Edicti hereditatem obtinet.
4. Ipso iure Legata, neque fideicommissa, neque libertates, neque pupillares substitutiones debentur, sed a Praetore servantur.

[1.] **OVEANVS.** Ait Iureconsult. *Sibi quoque debet facere.*) Vti enim iam diximus, pupillares tabulae valent, quasi appendix, & particula paterni testamenti. Porro autem necesse non est, separatim filio haereditatem facere. Nam qui ita scribit, **SI FILIUS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO**: & sibi & impuberi haereditatem facere iam superius diximus.

[2.] Ait Iureconsult. *Vt nisi adita.*) Nam

& is, cuius ex testamento adita haereditas non est, *intestatus* dicitur. *l. 1. de suis & leg. haer. & titul. 1. lib. III. Instit. in princ.* Ex quo illud sequitur, Pupillaribus tabulis testamentum non sustineri. *l. ex pupillari 44. infra eod.* Adita autem haereditas late accipi videtur pro *quae sita ex testamento*: ut in *l. post aditam 5. C. eod.* & in *d. l. 1. de suis & leg. haered.* Alioquin intestatus decederet is, cui haeres ex testamento filius extitisset, cui necessariam non esse aditionem constat. *l. in suis. 14. de suis & leg. haered.* Acquirat autem ex testamento filius haereditatem;

rem, cum institutus se haereditati immiscet. *l. 1. §. praetermittere 2. Si quis om. cau. test.* Porro in aditionibus verba olim certa requirebantur, uti scribit *VLPIANVS in Instit. de quo scripsimus lib. 1. lect. var.*

[3.] Ait Iureconsult. *Ab intestato possideatur haereditas.*) a filio impubere haerede instituto. Nam exhaeredatus, omittente instituto, ab intestato sine metu Edicti obtinebit haereditatem. Ex parte autem filius institutus omittens ex testamento, locum facit iuri accrescendi. Quod si cohaeres repudiet, num ab intestato filius totam haereditatem sine Edicti metu obtinebit? Et sane intestatum patrem non facit. Sed de hoc alias considerabimus. Impuberi autem instituto, omittenti testamenti causam, servabimus substitutum, quemadmodum & legata servamus, & fideicom-

missa, & libertates. arg. *l. nam quod 14. §. ult. ad Treb.* Quod si haereditatem in totum filius omittat, expirare prorsus substitutiones pupillares certum est: cum neque iure Civili valeant, neque a Praetore ferventur.

[4.] Ait Iureconsult. *Servandum.*) a Praetore. Nam ipso iure, neque legata debentur, neque fideicommissa, neque libertates, neque pupillares valent substitutiones. Ita in *l. servus sub conditione 4. de bon. auctor. iudic. possi.* *Servari dicitur servo libertas a Praetore, quae ipso iure non competebat.* At in *l. ait Praetor 7. §. sed quod Papinianus 10. de minoribus* non servari libertatem servo scribit Iureconsult. sed servum liberum manere, minore in integrum restituto adeundae haereditatis causa: quia a se ipse libertatem acceperat.

## §. II.

*Ait VLPIANVS. Interdum etiam pupillaris testamenti causa, compellendum haeredem institutum adire haereditatem, ut ex secundis tabulis fideicommissum convalescat: ut puta, si iam pupillus decessit. Caeterum si adhuc vivat, improbum esse IULIANVS existimat eum, qui sollicitus sit de vivi haereditate.*

## S V M M A R I V M.

1. Substitutus impuberi exheredata rogari non potest de impuberis hereditate restituenda.
2. Quomodo fideicommissum alienae hereditatis valeat?
3. Impubes ex asse heres scriptus a Praetore non cogitur hereditatem adire, ad confirmationem secundarum tabularum.
4. An institutus suo periculo paternam hereditatem adire cogatur, alieni compendii causa?
5. Propter fideicommissum, in secundis tabulis relictum, eum adire cogit.
6. 7. 8. Breviter nonnulla huius legis explicantur.
9. Quaer. an institutus, qui repudiavit, adire cogatur?
10. Quomodo restitutio fiat in casu proposito pupillaris hereditatis ex Trebelliano?

[1.] **G**OVEANVS. Primus casus *ACCURSII* non placet. Neque enim *Seius* impuberi exhaeredito substitutus rogari potest de impuberis haereditate restituenda. Nam in *l. nam quod 14. §. qui compulsus 4. ad Treb.* & in *l. apud Iulianum 11. §. ult. eod. tit.* idem est institutus & filio substitutus exhaeredito. Itaque fideicommissum utile est, ut eius causa non immerito cogatur a Praetore haeres institutus haereditatem adire & restituere. Quod inutilis fideicommissi causa Praetor non facit. *l. ille, a quo 13. §. si de testamento 2. ad Treb.* Casus igitur huius paragraphi ponitur a Iureconsult. in *l. ita tamen. 27. §. a patre 4. ad Treb.* ubi haeres institutus exhaeredito filio substitutus, rogatus filii haereditatem

restituere, si patris suspectam dicat haereditatem, cogitur a Praetore adire, postulante fideicommissario: ut confirmatis tabulis pupillaribus, cogatur rursus haereditatem pueri adire, & restituere. Idem dicemus, si filius institutus paternam haereditatem abstineat: nam eius cohaeres & idem substitutus, qui paternam haereditatem suspectam dixit, mortuo pupillo ex principali testamento adire cogitur: ut tabulis pupillaribus confirmatis aditam rursus pupilli haereditatem restituat. *l. apud Iulianum 11. §. 1. ad Trebel.* de quo plene scripsimus ad *d. l. apud Iulianum.*

[2.] Merito hoc loco dubitaverit quis, quemadmodum fideicommissum alienae haereditatis valeat? cum per fideicommissum suis bonis quisque substituat. *l. cohaeredi 41. §. quod si haered. 3. infra eod.* Sed dicendum est, ab impuberis substituto fideicommissum non relinqui, nisi

idem

idem patris haeres sit, quemadmodum iam diximus.

[3.] Ait Iureconsult. *Haereditatem institutum.*) Et eundem impuberi substitutum. *l. plane 34. de leg. 1. l. in ratione 30. §. ult. ad leg. Falcid.* Haereditatem autem institutum alium quam impuberem accipere debemus. Nam si impubes ex asse haeres scriptus, haereditati se immisceat, nihil est necesse, eum cogi a Praetore: si vero omittat ex testamento, & ab intestato bonorum possessionem agnoscat, servat ei Praetor substitutum: utne tum quidem sit necesse cogi a Praetore haereditatem patris adire ad confirmationem secundarum tabularum. In totum autem si abstineat, hoc est, tam ex testamento, quam ab intestato, ne remedio quidem Praetorio substituti succurritur. Tum enim Edicto, *SI QVIS OMISSA CAUSA TESTAMENTI*, locus est: cum qui ex testamento omittit, obtinet ab intestato haereditatem. *l. 1. §. l. si quis omissa. 17. si quis omiss. cau. testam. &c.* Quod si impubes ex parte institutus, sponte sese haereditati immisceat, cogi eum nihil est necesse, confirmatis per eam immixtionem tabulis pupillaribus. *d. §. praetermittere 2.* Si autem omittat ex testamento, quid iuris sit, iam superius demonstravimus. Sane propter fideicommissum a se relictum, cogi pupillum se immiscere nihil est necesse. *l. ita tamen 27. §. si pater 3. ad Treb.* de quo inferius dicemus ad *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2.*

[4.] Ait Iureconsult. *Haereditatem adire.*) Paternam. Sed an & restituere? Et Iureconsulti in locis iam citatis de paterna haereditatis restitutione non loquuntur. Quid ergo? Suo periculo adire cogetur institutus paternam haereditatem, alieni compendii causa? At id quidem Praetori propositum non est. *l. quia poterat 4. ad Treb.* Sed de quaestione hac considerabimus ad *l. cohaeredi 41. §. quod si haered. 3.*

[5.] Ait Iureconsult. *Vt ex secundis tabulis fideicommissum convalescat.*) Propter fideicommissum igitur in secundis tabulis relictum, non propter pupillarem ipsam substitutionem, cogit Praetor adire institutum. Praetor enim fideicommissarias substitutiones tuetur. Directae substitutiones, quae ipso iure valent, ad Praetoris curam non pertinent. Fideicommissum autem universale accipiendum est. Nam propter singularia fideicommissa non cogit Praetor adire. *l. cogi. 16. ad Treb. l. si quis omissa 17.*

*in 2. parte. Si quis omiss. cau. &c.*

[6.] Ait Iureconsult. *Convalescat.*) Coacto rursus adire ex substitutione instituto. *l. ita tamen 27. §. a patre 4. & l. apud Iulianum 11. ad Treb.* Neque enim prior ex paterno testamento sufficit aditio.

[7.] Ait Iureconsult. *Vtputa, si iam pupillus decessit.*) Nullo igitur modo pupillus cogi poterit se immiscere, ut a suo substituto fideicommissum relictum convalescat.

[8.] Ait Iureconsult. *Caeterum si adhuc vivat, improbum esse, &c.*) Accedit, quod conditionem illam in se habet huiusmodi fideicommissum, *SI AD SVBSTITVTVM IMPVBERIS HAEREDITAS PERVENERIT*, ante cuius eventum male a Praetore postulat fideicommissarius: ut sui fideicommissi conservandi causa, vivo adhuc pupillo, institutus cogatur haereditatem adire: quasi iam certum habeat, se & pupillo, & substituto superfuturum.

[9.] Quaero, num institutus, qui repudiavit, adire cogatur? Movet, quod qui semel repudiavit, haeres amplius esse non potest. *l. qui superstitis 94. de acqui. haered.* ut frustra cogi videatur, cum haeres fieri non possit. Interdum tamen repudiantem adire Praetor cogit. *l. Nam quod 14. §. 1. ad Treb.* Ex quo intelligi potest, non eadem esse, *repudiare, & suspectam dicere haereditatem*, de quo scripsimus *lib. II. lectio. var.*

[10.] Quaero, quomodo fiat restitutio ex Trebelliano in casu proposito pupillaris haereditatis, cum Iureconsultus scribat in *d. l. ita tamen 27. §. Trebellianum 8. rogatum restituere alterius haereditatem, non magis cogi adire, quam si fundum legatum sibi rogetur restituere?* Et dicendum est, pupilli haereditatem substitutum habere a testatore: propter quam causam in pupillari substitutione, particula *Mihi*, apponi solet, atque ideo haereditatem institutum, eundemque substitutum impuberi, ex Trebelliano impuberis haereditatem restituere, actionesque transferre. Nam & Maevii haereditatem, quae ad me pervenit, si te rogem restituere, ex Trebelliano fiet restitutio. *l. cogi 16. §. si quis haeres 4.* Itaque quasi haeres testatoris rogatur substitutus restituere impuberis haereditatem. arg. *l. paterfamil. 28. de privil. cred. & l. si pupillus 89. de acqui. haered.* quibus in locis dubitationem facit, quod substitutus impuberi, testatoris haeres sit.

### §. III.

*Ait VLPIANVS: Ergo etiamsi minor viginti quinque annis, adeundae haereditatis causa fuerit restitutus, puto proficere secundis tabulis, ut Praetor utiles actiones decernat substituto.*

## S V M M A R I V M.

1. *Vulgata huius loci lectio prae altera, quam libri quidam habent, cur praeferenda?*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Ergo.*) Alii libri habent EGO: sed superior mihi lectio magis placet. Cum enim in paragrapho proximo superiore docuisset Iureconsultus, per aditionem paternae haereditatis, ex qua haereditas acquiritur, confirmari tabulas pupillares: addit, & per aditionem, ex qua possessionem duntaxat adipiscimur, confirmari tabulas pupillares, sed hactenus,

ut substitutis actiones dentur utiles, quemadmodum & institutis, qui, repudiata semel haereditate, beneficio aetatis in integrum sunt restituti adeundae haereditatis gratia: quos haeredes non fieri constat. *l. & si sine dolo 7. §. sed quod Papinianus 10. de minor.* quamvis rem auferant substituto: qui enim semel haeres extitit, semper haeres manet. Quem §. semper affirmative legendum putavi, in illis verbis, TALE EST, QVASI ETIAM HAERES MANEAT. De quo scripsimus *lib. 11. lect. variar.*

## §. IV.

Ait VLPPIANVS: Prius autem sibi quis debet haeredem scribere, deinde filio substituere, & non convertere ordinem scripturae. Et hoc IULIANVS quoque putat. Caeterum si ante filio, deinde sibi testamentum faciat, non valere. Quae sententia rescripto Imperatoris nostri ad VIRIVM LVPVVM Britanniae Praesidem comprobata est, & merito. Constat enim unum esse testamentum, licet duae sint haereditates: usque adeo, ut quos sibi quis facit necessarios, eosdem etiam filio faciat: & posthumum suum filio impuberi possit quis substituere.

## S V M M A R I V M.

1. *Summa huius paragraphi exponitur, deque vera lectione disputatur.*

[1.] **G**OVEANVS. Ad hunc paragraphum scripsimus *libro primo lectionum variarum* summa eius haec est: sive in eisdem tabulis, filio impuberi pater substituat, ordinem scripturae attendi non oportere: meritoque IULIANI sententiam improbatam ab Imperatore, existimantis, non licere convertere scripturae ordinem: & illud SABINI, SINGVLIS LIBERORVM SVBSTITVERE LICERE, aliter accipi oportere quam IULIANVS acceperit. Absurdum autem esse, & incivile, scripturae ordinem in duplicibus tabulis servari, ex eo docet Iureconsultus, quod patris, & filii unum sit testamentum & quidem utroque iure. Nam & testes septem utrisque tabulis sufficiunt: & coniuncti re sunt, quorum alter in primis tabulis, alter in


secundis legatum accepit *l. plane 34. §. si coniunctim 9. de leg. 1. l. cohaeredi 41. §. cohaeres 6. infra eod.* Et quem pater sibi necessarium haeredem facere potest, eundem & filio impuberi facit. *l. sed si plures 10. §. quos possum 1. infra eod.* quamvis suum non faciat. De quo dicemus suo tempore. Et filium posthumum fratri potest substituere testator: quamvis posthumum alienum ex testamento haeredem habere nemo possit. Maneo itaque in veteri mea & multorum annorum sententia, quo loco COMPROBATA legitur, IMPROBATA legendum esse. Cui mendo facilem causam dederit notarum similitudo; nam duae hae particulae *in*, & *cum*, apice reiecto notari solent in modum Antisigmati. ita in *l. poenales 32. §. honorariae 1. ad l. Fal.* corrupte legitur, *cum bonis*, pro *in bonis*.

## §. V.

Ait Iureconsultus: *Sed si quis ita fuerit testatus, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVM QVARTVM ANNV M DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO, & deinde, FILIVS HAERES ESTO. valet substitutio, licet conversa scriptura filii testamentum fecerit. Sed & si ita scripserit, SI FILIVS MEVS HAERES NON ERIT, SEIVS HAERES ESTO. FILIVS HAERES ESTO. Secundo quidem gradu Seius scriptus est haeres: & si filius haeres non extiterit, proculdubio Seius ei haeres erit. Sed & si extiterit filius haeres, & intra pubertatem defunctus est, Seius admittendus recte videtur: ut non ordo scripturae, sed ordo successionis spectetur. Quod igitur dictum est, SINGVLIS LIBERORVM SVBSTITVERE LICERE: ideo adiectum est: ut declaretur, non esse a filii testamento incipiendum impuberis.*

## S V M M A R I V M.

1. *Converso scripturae ordine in eisdem tabulis substitutio & institutio non vitiantur.*
2. *Breviter verba & sensus huius §. expositus.*
3. *Testamentariae successiones unde incipiant?*
4. *Sex quaestiones movet BARTOLVS circa materiam pupil. substitutionis.*
5. *An iure Lacedaemoniorum sit introducta?*
6. *Quod & quaenam sint requisita, ut pup. substitutio valeat?*
7. *An tantum liberis naturalibus pupillariter possit substitui?*
8. *An pupil. substitutio, facta extraneo, ad causam fideicommissi trahatur?*
9. *Requiritur, ut sit impubes, cui pup. sit substitutio.*
10. *An si puberi pupillariter substituatur, ad causam fideicommissi trahatur?*
11. *An per Nov. 118. correctum sit, ut in potestate sit is, cui pupillariter substituitur?*
12. *An & requiritur, ut tempore testamenti in potestate sit?*
13. *An filio naturali, post mortem patris rescripto Principis legitimato, facta pup. substitutio valeat?*
14. *An pup. substitutio facta ei, qui non est in potestate, ad fideicommissi causam trahatur?*
15. *Cur requiratur, ne recidat in potestatem is, cui pup. sit substitutio?*
16. *Aetas militaris est plena pubertas.*
17. *Emancipatione & morte filii pup. substitutio expirat.*
18. *An valeat substitutio, si filius per dignitatem patria potestate solutus est?*
19. *An pup. substitutio irrita facta per Emancipationem iure valeat fideicommissi?*
20. *An extinguatur substitutio ingressu in monasterium?*
21. *Requiritur, ut pater sibi prius testamentum faciat.*
22. *An valeat pup. substitutio, si patris testamentum sit minus solenne?*
23. *Requiritur, ut impubes, cui fiat pup. substitutio, instituatur vel exheredetur.*
24. *Quid iuris, si per bonor. possess. contra tab. testamentum rumpatur?*
25. *An, quod dicitur, exheredato impuberi substitui posse, correctum sit per l. si quis. 34. C. de inoffic. test.*
26. *An Tit. de coniung. cum emancip. &c. hodie sit supervacaneus?*
27. *An rupto testamento ex causa praeteritionis, salvae sint pupillares substitutiones?*
28. *An, approbato testamento a filio praeterito?*
29. *Ultimum requisitum est, ut adeatur patris hereditas.*
30. *An existencia sui heredis confirmet tabulas pup.?*
31. *An aditione ex tacita vulgari confirmentur tabulae pup.?*
32. *Quotuplex sit pup. substitutio?*
33. *Quibus verbis fiat?*
34. *Qui sint effectus?*
35. *An omnia pupilli bona veniant in pup. substitutionem?*
36. *Expressa pup. substitutio matrem excludit.*
37. *An & intellecta matrem excludat?*
38. *An substitutus decedens, nondum adita pupilli hereditate, eam ad heredem transmittat?*
39. *Quomodo finiatur pup. substitutio?*
40. *Quaenam pup. substitutiones irritae fiant?*
41. *Quomodo autem evanescant?*
42. *Quomodo denique finiantur?*
43. *An filii impuberum pupillarem substitutionem impediant?*

[1.] OVEANVS. Docuit Iureconsultus, non eo vitari pupillarem substitutionem, quia tempore institutionem praecedat: nunc docet non vitari & si ordine scripturae converso in eisdem tabulis substitutio & institutio scribantur. Nam in eisdem tabulis scribi posse ostendit Imperator. §. *sin autem. de pup. subst. lib. II. Instit.* Itaque veteres quidam codices recte habent, SED ET SI.

[2.] Ait Iureconsult. INTRA XIII. ANNUM DECESS.) & haeres erit. Nam abstinente filio, vel propter posthumi praeteritionem non immiscente se, intestatus decedit pater, si cohaeres filio datus non sit, vel substitutus, qui testamentum sustineat. *l. si filius haeres 16. de lib. & posthum.* Neque enim vulgaris substitutio, quae in pupillari continetur, sustinere testamentum potest, cum ad bona duntaxat pupilli pertineat. De quo superius scripsimus.

Ait Iureconsult. SI FILIVS MEVS MIHI HAERES NON ERIT.) Qui filio impuberi vulgariter tantum substituit, sibi & filio haeredem scribit: qui autem & vulgariter & pupillariter filio substituit; per vulgarem sibi, per pupillarem filio haeredem dat: & quidem in utrumque casum ex D. MARCI constitutione.

Ait Iureconsult. *Ei haeres erit.*) Patri: non quia patri tantum succedatur: sed quia, quisquis ex testamento succedit, sive patri, sive filio, *patri haeres* dicitur. *l. si Pupillus 89. de acqui. haerer. l. paterfamilias. 28. de privileg. cred.* Ex vulgari namque substitutione, & patri statim succeditur, & filio intra pubertatem quandoque decedenti, quemadmodum superius scripsimus.

Ait Iureconsult. *Seius admittendus recte videtur.*) Ex constitutione D. MARCI. *Sed ordo successionis.*) quo quisque ad successionem testamentariam invitatur.

Ait Iureconsult. *Quod igitur dictum est.*) a SABINO, ad quem VLPPIANVS scribit.

Ait Iureconsult. *Licere.*) moribus, non lege.

Ait Iureconsult. *Ideo adiectum est.*) non quod praecedere oporteat institutionem, ut IULIANVS putabat, verbi ratione ductus SUBSTITVERE, quod *secundam institutionem* significare videtur.

[3.] Ait Iureconsult. *Vt declaretur, non esse a filii, &c.*) Hoc est, testamentarias successiones a testamento impuberis non incipere, sed a patris testamento, sive filio impuberi instituto substituantur, sive exhaeredato. Patri enim successum sit oportet, antequam ex filii testamento succedatur. Itaque recte dictum est, LIBERIS LICERE SUBSTITVERE, non autem *haeredem dare*. Semper enim filio impuberi recte substituitur: haeres non semper filio recte datur. Nam

qui soli filio haeredem dat, non recte dat: nisi forte sit miles. Vnde intelligi potest, quem exhaeredato filio impuberi pater haeredem dat, recte ac proprie dici *substitutum*, quia secundus ex testamento haeres sit, & ad secundam successionem testamentariam vocetur. Omnem igitur substitutionem tam vulgarem quam pupillarem recte diffinimus *secundi haeredis appellationem*. Et haec ad VLPPIANVM.

[4.] VENIO AD BARTOLVM. Et sex quaestiones movet BARTOLVS circa materiam pupillaris substitutionis. Prima est, Quo iure introducta sit pupillaris substitutio? Secunda, Quae requirantur, ut valeat? Tertia, Quotuplex sit? Quarta, Quibus verbis fiat? Quinta, Qui eius effectus sint? Sexta, Quibus modis finiatur?

[5.] Ad primam respondet ACCVRSIVS, iure Lacedaemoniorum introductam esse pupillarem substitutionem. BARTOLVS, bonus, si Diis placet, ACCVRSII interpres, *Eo*, inquit, *iure Lacedaemoniorum ab ACCVRSIO pupillaris dicitur substitutio introducta, ne quis eam substitutionem ad ius gentium referat, contra l. lege obvenire 130. de verb. signifi.* Quasi vero mores, quibus introducta pupillaris substitutio est, partem alteram iuris civilis populi Romani non constituent. §. *ex non scripto. de iure nat. lib. I. Instit.* Tum vero ponamus iuris gentium esse, quid contra *l. lege obvenire 130.* suscipitur, quae de legitimis duntaxat haereditatibus loquitur?

[6.] AD SECUNDAM quaestionem BARTOLVS respondet, octo esse, quae in pupillari substitutione requirantur. Primum, ut sit ex liberis is, cui sit. Secundum, ut sit impubes. Tertium, ut sit in potestate. Quartum, ut fiat sui iuris morte testatoris. Quintum, ut non desierit esse in potestate ante mortem testatoris. Sextum, ut pater sibi faciat testamentum. Septimum, ut impubes vel haeres, vel exhaeres scriptus sit. Octavum, ut testatoris adeatur haereditas.

[7.] Quaerit circa primum BARTOLVS, num possit substitui pupillariter liberis naturalibus tantum? Et respondet, non posse: quia non sint in potestate. §. *I. de patr. pot. lib. I. Instit. l. Lucius 45. infra eod.* Ego BARTOLI responsum illius quaestionis propriam existimo, quare impuberibus emancipatis non substituantur pupillariter. Nam naturalibus tantum eo pupillariter non substituitur, quia liberorum numero non sunt, nisi cum de iis sensisse testatorem apparet: ut in *l. cum pater 77. §. volo 13. & l. Lucius 88. §. Damae 12. de leg. II. l. ex facto 17. §. si quis rogatus 4. ad Treb.*

[8.] Quaerit insuper, num extraneo facta pupillaris substitutio, ad causam fideicommissi trahatur? De quo se dicturum pollicetur ad *l. verbis. 7. infra eod.* Quo loco nos quoque de eo considerabimus.

[9.] Circa secundum, quod BARTOLVS re-



requirit, ut sit impubes is, cui sit pupillaris substitutio, quaerit, si statuto & lege municipali caveatur, ut minor xxv. annis testari non possit, substituine pupillariter filio possit: & ita substitui, ut paterfamiliâs effectus, decedens intra xxv. annum, haeredes habeat, quos ei pater dedit? Ad quam quaestionem BARTOLVS obscure respondet, ut vix intelligi possit. Ego respondeo, substitui posse, si intra xxv. annum filius decedat: sed natis postea liberis, extingui eam substitutionem, ut & illam, quae furioso fit. *l. ex facto 43. infra cod. l. humanitatis 9. Cod. eo.* & directam eam fore substitutionem, non exemplarem, uti BARTOLVS existimat; ubi enim eadem ratio est, idem ius statui oportet.

[10.] Quaerit praeterea, si puberi pupillariter substituatur, num ad causam fideicommissi ea trahatur substitutio? Et reiicit nos ad *l. verbis 7.* in quem locum & nos quoque quaestionem istam reiiciamus.

[11.] Circa tertium, quod requirit BARTOLVS, ut sit in potestate is, cui sit pupillaris substitutio, quaerit, num correctum id sit per *Novellam 118. de haered. quae ab int. def.* Et omnium Doctorum communis sententia est, non corrigi: sed illud duntaxat eo loco statui, ut ab intestato emancipati cum iis, qui sunt in familia relicti succedant: quos olim iure civili destitutos, Praetor duntaxat adiuuabat per *bonorum possessionem*, vel *contra tabulas*, vel *unde liberi*.

[12.] Quaerit insuper BARTOLVS, num tempore testamenti in potestate esse debeat is, cui sit pupillaris substitutio? Et respondet ex ACCVRSII sententia, necesse id non esse, per *§. sed et si extraneum. in fin. §. 1. in hac lege* additque de suo, substitutionem istam pupillarem factam extraneo, sequuta postea adoptione, valere: quia iure vulgaris initio valuerit. Nam si ab initio nullo iure valuisset, ex post facto iure pupillaris valere non posset. Ego utrumque hoc falsum puto. In primis namque in potestate esse debet tempore testamenti is, cui pupillariter substituitur. *d. §. uli. de pupill. subst. lib. II. Instit. & l. si alienum 49. §. in extraneis 1. de haered. instit.* Nam in *§. sed si extraneum.* qui ACCVRSIVM & BARTOLVM praecipites egit, non ait Iureconsultus, ante adoptionem fieri substitutionem, sed instituto extraneo, si postea adoptetur, substitui tuto posse pupillariter: neque verendum esse, ne rumpat quasi praeterita testamenta, quia ex lege *Velleia* institutus non sit. *l. filio 23. §. uli. de liber. & posthum.* De quo superius scripsimus. Iam vero, quod ait BARTOLVS, pupillarem istam substitutionem extraneo factam, sequuta adoptione, iure pupillaris valere, propterea quod ab initio iure vulgaris valuerit, non vere dicit. Iam enim antea docuimus, vulgarem, quae in pupillari continetur, ad bona duntaxat impuberis pertinere.

[13.] Quaerit insuper BARTOLVS, num si

lio naturali, qui post mortem patris rescripto Principis ius legitimi impetravit (ut in *Novell. item II. C. de nat. lib.*) substitutio facta pupillaris valeat? Et respondet, valere, argumento a simili. Nam si impuberi ab hostibus reverso, post mortem patris servamus substitutum: cur non & ei, qui post mortem patris per rescriptum Principis, ius legitimi nanciscitur, substitutum servabimus? Mihi contrarium videtur: quia neque liberi sunt neque in potestate tempore testamenti: utrumque autem hoc requiri in pupillari substitutione, superius diximus. Neque obstat, quod adfert BARTOLVS, de reverso ab hostibus. Nam fictione postliminii intelligitur semper in civitate fuisse ab hostibus reversus, sive apud hostes conceptus sit, sive in civitate. *l. si quis filio 6. §. sive 2. de iniusto test. l. 1. C. de capti. & postl. revers. l. ab hostibus 15. Quib. ex caus. maio.*

[14.] Quaerit BARTOLVS, si pupillaris substitutio fiat ei, qui non est in potestate, num ad causam fideicommissi trahatur? Ego puto, non trahi, cum extraneo ita substitui non possit.

[15.] Quarto requirit BARTOLVS, ut mortuo testatore, non recidat in potestatem is, cui sit pupillaris substitutio. Causam illam esse ait, & recte, quia is, in cuius recidit potestatem, testamentum ei facere potest, quemadmodum & tutorem dare. *l. cum filius 28. de milit. test. l. impuberi 40. de admin. tut.*

[16.] Quod de milite impubere, recasuro in alienam potestatem, quaerit BARTOLVS, sine causa quaerit, cum aetas militaris plena pubertas sit. Apud LIVIVM Hannibal Scipionem in Hispaniam missum dicit, vix dum aetate militari, qui tamen annorum xxiiii. missus fuerat. Idem LIVIVS *Lib. xxvii. c. II.* scribit, in aetarios relatos, qui secundo bello Punico annis nati xvi. non militaverant. (imo vero xvii. ut meliores habent Livii Editiones, quippe quo anno *militaris aetas* erat definita; vid. quae obiter hac de re adnotabimus in *Praefatione*) Nec enim summo Reipublicae tempore, aetatem militarem expectare quemquam debuisset, VOPISCVS in *Probo*, sanxit, ut veteranorum filii in Isauria ab anno xviii. ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari, quam militare discerent. Neque obstat. *l. ult. C. de milit. test.* Facilius enim honores militares impuberibus mandantur, in quibus & vicarios & adiutores habere possunt, quam militiae onus imponitur. Neque obstat *l. sed & milites 8. §. sin. autom. 3. de excusa. tut.* ubi militi impuberi veteranus curator dari dicitur. Nam MODESTINVS Graeco verbo scripsit ἀφελικός, *minor xxv. annis* significatur. Interpres autem Graecae linguae ignarus, IMPUBES vertit, ut & in *l. non solum 10. §. si libertus 7. eod. tit.*

[17.] Quinto requirit, ut non defierit esse in potestate is, cui facta fuit pupillaris substitutio. Et hoc ita verum putat, si per emancipationem exeat filius de potestate. Ego puto, sive eman-

cipatur, five ante patrem moriatur filius, expirare pupillarem substitutionem.

[18.] Quaerit de eo, qui per dignitatem exit de patria potestate. Et respondet, valere substitutionem. Ego puto otiosam BARTOLI quaestionem, cum Patriciatus dignitas (per quam patria potestas solvitur. § *filiusfamil. quib. mod. ius pat. pot. sol. lib. 1. Instit. & l. sancimus 5. C. de Consulib.*) pupillo non conferatur. Ridiculum enim fit, impuberem in patrem Principis eligi.

[19.] Quaerit, cum per emancipationem pupillaris substitutio irrita fiat, num valeat iure fideicommissi? & respondet, non valere. Et quidem recte: sed rationem & falsam & ineptam addit, quia semel valuerit iure directo.

[20.] Quaerit, num monasterii ingressu extinguatur impuberi facta substitutio, quasi emancipatione? Verum ista quaestio ridicula est, cum ante XIII. annum religionem nemo profiteatur. *c. II. extra, de regularib.*

[21.] Sexto requirit BARTOLVS, ut pater sibi faciat testamentum, excepto milite. *l. miles 22. de milit. test. & hac l. moribus.* Notat sibi prius patrem debere facere testamentum, deinde filio. In quo reprehensum IULIANVM scripsimus ad §. *prius. 4.*

[22.] Quaerit, si testamentum patris minus solenne sit, num pupillaris valeat substitutio? Et respondet, non valere, per *l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto 1. C. de testamen.* Ego respondeo, valere; per *Novel. quod sine 107. cap. 1. eod. tit.* Etenim, si in testamento imperfecto legata & libertates relinqui possunt, quare non & substitui pupillariter, cum praesertim legato filius oneretur, substitutione autem honoretur.

[23.] Septimo requirit BARTOLVS, ut impubes, cui pupillaris substitutio sit, instituatur, vel exhaeredetur: alioquin nullum, inquit, erit testamentum: quasi liberorum omnium praeteritio iniustum faciat testamentum. Addere, meo iudicio, debuit, vel agnatione, successioneve rumpetur. Nam & posthumis & nepotibus impuberibus pupillariter substituitur.

[24.] Quaerit BARTOLVS, quid iuris sit, rupto testamento per bonorum possessionem contra tabulas? Et quaestionem istam reiicit in *l. Et si contra 35. infra eod.*

[25.] Quaerit, num, quod dicitur exhaeredato impuberi substitui posse, correctum sit per *l. si quis in suo 33. C. de inoff. test.* ubi filios impuberes a matre exhaeredari vetat Imperator? Et correctum putat. Excipit tamen pupillum proximum pubertati: is enim doli capax est. Sed mihi exceptio ista non placet. Cur enim nos distinguamus, quod lex non distinguit? Cum praesertim odiosa sit exhaereditio: neque sit distinctio nostra adiuvanda. *l. cum quidam 19. de liber. & posthum.* Tum vero, *l. si quis in suo cit.* de iis loquitur, qui mala mente filios impuberes exhaeredant, multi autem non notae

causa, sed bona id mente faciunt. *l. multi 18. de liber. & posthum. l. si patronus testamento 12. §. si quis 2. l. Paulus respondit 47. de bon. libert.* Postremo, nepotes etiam propter delicta parentum exhaeredantur. *l. non tantum 3. §. si emancipatus 5. de bon. poss. contra tab.* Dicendum igitur est, impuberibus exhaeredatis five bona mente, five mala substitui pupillariter posse. Contraria enim sententia eorum utilitatem impugnat. Filium emancipavi: nepotem ex eo in potestate retinui: quaerit BARTOLVS, possitne substitui nepoti pupillariter, quamvis neque haeres neque exhaeres scriptus sit? Et respondet, huic nepoti neque instituto, neque exhaeredato substitui posse pupillariter. Et casum istum novum esse ait. Idem scribit *ad l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5.* Mihi aliud iudicium est. Nepos enim iste praeteritus successione rumpit avi testamentum. *d. l. Gallus 3. §. sequente. l. posthumorum 13. de iniusto test. l. posthumi 3. eod. tit. §. posthumorum. de exhaer. lib. libr. II. Instit.* Neque obstat *lex meminimus 15. C. de legit. haered.* per quam legem non fit, ut ab intestato filius emancipatus, nepoti retento in potestate obstat, (quod falso BARTOLVS existimavit) sed illud tantum, ut una cum nepote suo filius emancipatus ad patris successionem legitimam admittatur: neque tantum bonorum possessor, sed & haeres fiat.

[26.] Vnde sequitur, falsum esse, quod idem BARTOLVS scribit, titulum de *coniungendis cum emancip.* &c. hodie supervacaneum esse: quamvis enim emancipatus per *l. meminimus. cit.* ab intestato una cum suis ad legitimam haereditatem admittatur, tamen praeteriri potest: neque iure civili turbabit parentis testamentum, quo casu necessarium erit ei remedium bonorum possessionis contra tabulas. *l. illud 4. §. ult. de bon. possess. contra tabul.* In qua bonorum possessione cum liberis suis in avi familia relictis iungetur: neque nepotibus obstat quasi filius: neque ei nepotes iure potestatis. Nam neque in bonorum possessione VNDE LIBERI, obstat emancipatus filius nepoti. *l. posteaquam 1. §. si quis filium 7. si tab. test. nullae extab.* ubi filius emancipatus, adoptatus rursus in locum filii, non obstat nepotibus ex eo, quia non quasi naturalis, sed quasi adoptivus sit in potestate; unde apparet, eos solos filios obstat nepotibus, qui sunt in potestate.

[27.] Quaerit BARTOLVS, num rupto testamento ex causa praeteritionis, salvae sint pupillares substitutiones? De qua quaestione superius diximus.

[28.] Item quaerit, approbato testamento a filio praeterito, ut in *l. filio 17. de iniusto rupto, &c.* valeantne pupillares substitutiones? Et de hac quoque quaestione superius diximus.

[29.] Octavo, & postremo requirit BARTOLVS, ut patris adeatur haereditas, praeterquam militis. *l. miles ita 41. §. ult. de milit. testam.*  
cuius

cuius haereditate non adita, valent tamen tabulae pupillares. Ratio illa est, quia miles soli filio haereditatem dare potest. Interdum & Praetor pupillo servat substitutos per Edictum, SI QVIS OMISSA CAUSA TESTAMENTI, possessa ab intestato haereditate.

[30.] Quaerit BARTOLVS, num existentia sui haereditatis confirmet tabulas pupillares? Et putat, confirmare, per *l. paterfamilias 28. de privil. cred.* Ego in alia sententia sum, neque aliter valere pupillares substitutiones existimo, quam quaesita ex principali testamento haereditate, quemadmodum superius scripsimus. *l. apud Iulianum 11. §. idem Iulianus 1. ad Treb.* Cur enim & legata non confirmat nudum nomen sui haereditatis? Hanc enim BARTOLVM arbitror dicere existentiam sui haereditatis. Neque obstat *l. paterfamilias cit.* cum & post immisionem abstinere pupillus possit, quae immisio sufficit confirmandis tabulis pupillaribus: suus enim institutus si se immisceat, ex testamento haeres esse videtur. *l. 1. §. qui sunt 7. si quis omiff. causa test.* Idem ad *l. si pupillos 89. de acquir. haered.* respondendum. Neque enim existimandum est, filium institutum necessario fieri haereditatem ex testamento. Qui enim esset vel iuri accrescendi, vel vulgaribus substitutionibus locus, filio instituto? Quemadmodum porro causam testamenti omittit filius possit institutus? Postremo, omissa ab eo institutione, cur tuitioe duntaxat Praetoris legata valent?

[31.] Quaerit postremo BARTOLVS, num aditione ex tacita vulgari confirmantur tabulae pupillares? Et distinguit, ut, si solus pupillus haeres sit institutus, existentia sui haereditatis sufficiat ad confirmationem tabularum pupilli, sin cohaereditatem pupillus habeat, cohaereditate non repudiante, nihil obstat, quo minus per aditionem ex tacita vulgari confirmantur tabulae secundae. Mihi aliter videtur. In primis enim superius demonstravimus, falso BARTOLVM existimare, nudo nomine sui haereditatis pupillares tabulas confirmari. Tum vero, cohaereditate non repudiante, quid est necesse, ad confirmandas tabulas secundas, adiri ex vulgari tacita haereditate, cum sufficiat haereditatis aditio? *l. ita tamen 27. §. qui suspectam 2. ad Treb.* Postremo, quod putat, aditione ex tacita vulgari confirmari tabulas pupillares, toto, quod aiunt, coelo errat. Nam per vulgarem istam tacitam pupillo, non patri succedi, iam superius docuimus. Pupillo autem succedi non potest, nisi prius patri sit successum. Cum testamentariae successiones, non incipiunt ab impuberis testamento.

[32.] Tertiae sex quaestionibus, a BARTOLO initio propositis, illa erat, Quotuplex sit pupillaris substitutio? Et ex iis, quae iam dicta sunt, constat, aliam esse expressam, aliam a lege intellectam. Quam eandem fecimus vulgaris substitutionis divisionem. Et quae contra divisio-

nem vulgaris disputata sunt, contra divisionem pupillaris dici possunt.

[33.] Quarta BARTOLI quaestio erat, Quibus verbis fiat pupillaris substitutio? Et hae fere proditae formulae sunt pupillaris substitutionis, SI HAERES ERIT, ET INTRA PVBERTATEM DECESSERIT: & SI INTRA PVBERTATEM DECEDET, EI TITIVM SVBSTITVO. Quo modo substituere etiam exhaeredato possumus.

[34.] Quinta BARTOLI quaestio, Qui sint effectus pupillaris substitutionis? Et effectus primus est, ut vulgarem in se substitutionem contineat. *l. iam hoc iure 4. infra eod. l. quamvis 4. C. eod.* Nisi appareat voluntas contraria testatoris, ut in *l. cum ex filio 39. infra eod.* sola namque testatoris voluntas D. MARCI constitutionem impedit.

Effectus secundus est, ut per eam pupillo succedatur. *de pupil. subst. in princip. lib. 11. Instit.*

[35.] Quaerit BARTOLVS, num omnia pupilli bona veniant in pupillarem substitutionem? Et distinctio admittenda est. Si enim naturalis pater substituatur, dubium non est, quin filii bona omnia in substitutionem veniant. Si arrogator substituatur, bona duntaxat arrogatoris veniunt. *l. sed si plures 10. §. in arrogato 6. infra eod.* Si miles substituatur, ad ipsius duntaxat bona admittitur substitutus, si ea miles voluntate fuerit. *d. l. sed si plures. §. ad substitutos 5.*

[36.] Tertius effectus est, ut expressa pupillaris substitutio matrem excludat. *l. Lucius 45. infra eod. l. Papinianus 8. §. sed nec impuberis 5. de inoff. test. cap. si pater. in fine. extra de testam. lib. 6.* Et quidem ita, ut ne de inofficioso quidem filii testamento queri possit. *d. §. sed nec.*

[37.] Quaerit BARTOLVS, num intellecta pupillaris matrem excludat? Idem de tacita vulgari quaerit. Ad quas quaestiones iam superius respondimus, a pupillari substituto utique matrem excludi, sive casus expressus eveniat, sive a lege intellectus: neque interesse vulgaris intelligatur, an pupillaris. Quae cum ita se habeant, reliquae omnes quaestiones BARTOLI superfluae sunt: ut illa, Num frater per tacitam pupillarem excludatur? Item illa, Num avia excludatur?

[38.] Quartum effectum esse ait, ut pater filio faciat suum & necessarium, quem facit sibi. Vnde colligit, substitutum hunc decedentem, pupilli haereditate non adita, transmittit nihilominus pupilli haereditatem ad haereditatem. Ego falsum puto, quod antecedit. Et sane in *l. sed si plures 10. §. quos possum 1. infra eod.* & in *l. si pupillus 89. de acq. haered.* & in *§. prius. hac eadem lege,* frater necessarius fratri haeres fieri dicitur, suus fieri non dicitur. Et vero fratrem patri suum non fieri, ex eo intelligi potest, quod neque in fratris potestate est, neque ab intestato fratris haereditati invitus obligatur.

[39.] Quærit postremo BARTOLVS, quemadmodum finiatur pupillaris substitutio? Ad quam quæstionem male & perplexe respondet. Ego ita breviter respondendum arbitror, substitutiones quaedam nunquam constiterunt, quaedam irritæ fiunt, quaedam evanescent, quaedam finiuntur. Nunquam constiterunt, quas is fecit, qui facere non potuit, vel cui non potuit.

[40.] Irritæ fiunt, quæ salvo testamento vim amittunt, vel cum pupillus tempore mortis testatoris reperitur emancipatus. *l. cobraeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod.* vel cum deportatur vivo testatore, vel cum poenæ servus efficitur, vel cum moritur ante testatorem, vel cum ipse moritur substitutus.

[41.] Evanescent autem substitutiones sublato testamento. Tolli autem testamentum multis modis contingit, vel secundo iure factò. *l. si quis cum. 16. infra eod.* Item deportato testatore. *l. si quis filio 6. §. irritum 5. de iniusto test.* Item rupto testamento per querelam. Item non adita ex testamento hæreditate. Posthumi item, vel eius, qui posthumi loco est, præteritione. Verum BARTOLVS hoc casu per *Novel. ex causa 115. c. 2. C. de lib. præet.* existimat, confirmari pupillares substitutiones. Quæ *Novella* semper mihi visa est de matris præteritione in-

telligenda: quemadmodum alio loco scripsimus.

[42.] Finiuntur, quæ valere coeperunt. Incipiunt autem valere adita demum hæreditate: quæ enim nunquam constiterunt, vix est, ut finiantur. Finiuntur porro pubertate. *l. in pupillari 14. infra eod.* Item tempore a testatore intra pubertatem definito. *l. si ita quis 21. infra eod.* Et quidem ita finiuntur, ut ne ad causam quidem fideicommissi proficiant. Nec obstat *l. pater Severinam 101. §. conditionum verba 2. de cond. & demon.* Nam in conditionibus voluntatem testatoris spectari oportere, constat. *d. §. conditionum.*

Quærit BARTOLVS, de monacho. Sed verum est, uti iam superius diximus, impuberes monachos non fieri.

[43.] Quærit de filiis impuberum, num pupillarem substitutionem impediunt? Ego neque naturam id ferre facile admiserim, & eae demum iustæ nuptiæ sunt, quæ inter puberes cives Romanos contrahuntur. *de nup. lib. 1. Inst.* Ex aliis autem nuptiis qui nascuntur, in potestate non nascuntur. Quare nec pupillariter substitui eis poterit. Et ad BARTOLVM hæc sufficient: cum quo luctari in hoc commentario amplius non decrevi.

### III. MODESTINVS Lib. I. Differentiarum.

*Cum filio impuberi pater ita substituerit: QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO IMPUBERI HAERES ESTO: placuit ad hanc substitutionem scriptos tantummodo admitti. Itaque dominus, cui per servum hæreditatis portio quæsita fuit, ex substitutione impuberis hæres effici non poterit, si servus ab eius exierit potestate.*

### S V M M A R I V M.

1. 2. 3. usque ad 8. quæstiones super hac lege proponit.
9. Pater per filium commodum hereditatis consequitur.
10. Ad tertiam quæstionem respondetur.
11. Item ad quartam.
12. Et postremam.
13. Per eas tantum personas acquirimus, quas habemus in potestate.
14. An servus pupilli hereditatem vindicare possit, eveniente conditione pup. substitutionis, & an altera necessaria sit aditio?
15. Quomodo ex substitutione hereditas pupilli domino acquiratur?

[1.] **G**OVEANVS. Per verba hæc, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, ad substitutionem impuberis, neque pater, cui per filium, neque dominus, cui per servum quæsita hereditatis portio est, admittitur: sed scripti duntaxat hæredes, hoc est, servus ipse

institutus.

[2.] Ait Iureconsult. *Scriptos.*) Non eos, quibus per scriptos quæritur hereditatis commodum.

[3.] Quaero, quamobrem pater non admittatur ad hanc substitutionem, cum per filium hæres fiat, & hæredis nomen ad ultiores etiam hæredes pertineat. *l. hæredis 65. de verbo. signi.*

[4.]

[4.] Quaero, quonam modo filius admittatur, in quo haereditas ne puncto quidem temporis subsistit. *l. placet 79. de acqui. haered.?*

[5.] Quaero, an satis sit, scriptum quem esse haeredem a patre, ut ad impuberis substitutionem iis verbis factam QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, admittatur?

[6.] Quaero, an sufficiat haeredem aliquando fuisse, quamvis die pupillaris haereditatis cedente non sit haeres?

[7.] Quaero, an datis impuberi pluribus substitutis nominatim, & in iis seruo alieno vel filiofamilias, idem quaeri possit?

[8.] Quaero postremo, num eadem interpretatio admittatur in vulgari substitutione?

[9.] Ad primum & secundum respondeo, patrem per filium commodum haereditatis consequi. *l. cum filio 11. de leg. 1.* ipsum tamen filium haeredem esse, & delatam acquirere haereditatem. *l. qui hominem 34. §. quidam 8. de solut. l. qui haeredi 44. de cond. & demon. d. l. cum filio.* qua in re a seruo alieno non differt filiofamilias.

[10.] Ad tertium respondeo, non sufficere scriptum esse haeredem, necesse praeterea esse, haereditatem adiverit: sed neque id quidem satis esse, superstes enim sic oportet, cedente die

pupillaris haereditatis. *l. sed si plures 10. infra eod.*

[11.] Ad quartum respondere Iureconsultus in *l. in substitutione 31. infra eodem.*

[12.] Ad postremum respondeo, Si nominatim paterfamilias substituatur, nihil esse, quod dubitetur. Nam in proposito dubitationem faciunt verba illa, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT.

[13.] Ait Iureconsultus. *Haeres effici non poterit.* Nobis enim per eas duntaxat personas acquiritur, quas habemus in potestate. Neque obstat. *l. qui patri 59. de acquiren. haered.* Nam in proposito servi cohaeredes ius impediunt accrescendi, quo in *d. l. qui patri*, utitur haeres haeredis.

[14.] Quaero, eveniente conditione pupillaris substitutionis, num servus pupilli haereditatem possit vindicare, si liber reperitur, & nunquid ei altera necessaria sit aditio? Et magis est, ut vindicare possit: verum non sine nova aditione. *l. toties 81. de acqui. haered.*

[15.] Quaero postremo, quonam modo ex substitutione haereditas pupilli domino acquiratur? Et constat, novam servi aditionem domino necessariam. *l. si solus 80. de acquir. haered.*


#### IV. IDEM Lib. Sing. De Eurematicis.

*Tam hoc iure utimur ex D. MARCI & VERI constitutione, ut, cum pater impuberi filio in alterum casum substituit, in utrumque casum substituisse intelligatur, sive filius haeres non extiterit, sive extiterit, & impubes decesserit. Quod ius ad tertium quoque genus substitutionum tractum esse videtur. Nam si pater duos filios impuberes haeredes instituit, eosque invicem substituit, in utrumque casum reciprocam substitutionem factam videri DIVVS PIVS constituit. Sed si alter pubes, alter impubes, hoc communi verbo, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO, sibi fuerint substituti, in vulgarem tantummodo casum factam videri substitutionem, SEVERVS & ANTONIVS constituit. Incongruens enim videbatur, ut in altero simplex esset substitutio, in altero sola vulgaris. Hoc itaque casu singulis separatim substituere pater debet, ut si pubes haeres non extiterit, impubes ei substituatur: si autem impubes haeres extiterit, & intra pubertatem decesserit, pubes frater in portionem cohaeredis substituatur. Quo casu in utrumque eventum substitutus videbitur: ne si vulgari modo impuberi quoque substituatur voluntatis quaestionem relinquat, utrum de una vulgari tantummodo substitutione in utriusque persona sensisse intelligatur. Ita enim in altero utraque substitutio intelligitur, si voluntas parentis non refragetur, vel certe evitandae quaestionis gratia, specialiter in utrumque casum impuberi substituatur fratrem SIVE HAERES NON ERIT, ET INTRA PVBERTATIS ANNOS DECESSERIT.*

## S V M M A R I V M.

1. Pupillo tribus modis substituitur.
2. D. MARCI constitutio locum non habet in substitutione facta exheredato.
3. Nec in fideicommissaria.
4. An in postumo?
5. An ex ea constitutione per intellectam substitutionem vulg. succedatur testatori?
6. An mater D. MARCI constitutionem impediatur?
7. Quae sit ratio D. MARCI & VERI constitutionis?
8. Hac constitutione fit, ut casus unus ad alterum porrigatur.
9. Casus unus vulg. substitutionis ad alterum trahitur.

10. An D. MARCI constitutio ad omnes tertii generis substitutiones pertineat?
11. Vtrum D. PII constitutio ad omnes reciprocas substitutiones, factas impuberibus, pertineat?
12. Quid opus D. MARCI & PII constitutionibus ad extendendum verbum substituo ad casum utrumque?
13. In DIVORVM SEVERI & ANTONINI constitutione verbum commune quomodo accipiendum?
14. SEVERI constitutio tantum pertinet ad reciprocas substitutiones, factas verbo communi.

[1.] OVEANVS. Pupillo tribus modis substituitur, SI HAERES NON ERIT: SI HAERES ERIT, & FILIO IMPVBERITITIVM SVBSTITVO: quod tertium genus substitutionum

appellatur. Verbi autem huius SVBSTITVO vim in mutua & reciproca substitutione impuberum liberorum D. PIVS constituit. DIVIS postea MARCO & VERO (qui & DIVI FRATRES appellantur) placuit in unum casum factam pupillo substitutionem, ad alterum porrigi, ut in omnem eventum haeredem impubes haberet. De tertio genere substitutionis nihil caverunt DIVI FRATRES. Sed tamen ad hoc quoque genus eorum tracta constitutio est. Postremo SEVERI & ANTONINI constitutione in reciproca & communi verbo facta disparibus personis substitutione, verbi SVBSTITVO vis, ad casum duntaxat vulgarem revocata est.

[2.] Quaero, num in substitutione, facta exhaeredato, locum habeat DIVI MARCI constitutio? Et magis est, non habere, cum ea substitutio casum nullum recipiat.

[3.] Quaero, num locum habeat in fideicommissaria substitutione? Et verius est, non habere: Si enim filius haeres non sit, haereditatem restituere qui potest?

[4.] Quaero, num locum habeat in postumo, cui etiam pupillariter substitui potest? Et distinguendum arbitror. Si enim vulgariter postumo substituas hoc modo, SI POSTHVMVS NATVS NON ERIT, eveniente casu pupillari, locum habet constitutio DIVI MARCI, nisi voluntas testatoris refragetur: ut in *l. ult. C. de instit. & substit.* Si autem in casum pupillarem substituas, non nato postumo, constitutioni DIVI MARCI locus esse non potest, qua non testatori, sed impuberi haeres providetur. Et hoc nimirum est, quod in causa Curiana (cuius

MARC. TVLLIVS multis locis meminit) QVINTVS MVTIVS adversus L. CRASSVM defendit, legitimis testatoris haeredibus locum esse factum, non nato postumo, cui M. Curius ita fuerat substitutus, si posthumus nasceretur, & intra pubertatem decederet.

[5.] Quaero, num per intellectam ex DIVI MARCI constitutione substitutionem vulgarem, testatori succedatur? Sed de quaestione hac superius diximus ad *l. moribus*. Et sane si succederetur, nullo colore SCAEVOLA in causa Curiana defendisset, locum esse factum legitimis haeredibus testatoris non nato postumo.

[6.] Quaero, num mater impediatur DIVI MARCI constitutionem? Et superius scripsimus, non impedire.

[7.] Quaero, quae ratio sit constitutionis DIVI MARCI & VERI? Et puto, Imperatores ex pupilli utilitate voluntatis testatoris coniecturam fecisse.

[8.] Opponit BARTOLVS *l. commodissime 10. de liber. & posthumis*. Vbi instituto eo, qui testatore vivo nasceretur, post mortem natus praeteritus dicitur: & e contrario: nisi ita testator scribat, INTRA DECEM MENSES MORTIS MEAE: *l. quidam 10. C. eod.* in qua verba ista desunt, VIVO TESTATORE NATI. Ad hanc obiectionem BARTOLVS suo more respondet. Ego respondeo, per constitutionem D. MARCI fieri, ut casus unus ad alterum porrigatur: neque aliter porrigi posse, cum similitudo nihil adiuvet: quae interdum facit, ut casus expressus ad similes trahatur. *l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5.* Verum affirmationi nihil est tam contrarium, quam negatio: neque rursus negationi, quam affirmatio. Tum vero, quem filio in casum unum substituiisti, facilius ac proclivius est, in utrumque casum substitutum intelligi, quam institutum eum, quem omnino non instituiisti.

[9.] Quaerit BARTOLVS, num casus unus sub-

substitutionis vulgaris ad alterum trahatur? Et magis est, trahi: non tamen per D. MARCI constitutionem. Sufficit namque similitudo. De quo superius diximus.

[10.] Quaero, num D. MARCI constitutio ad omnes tertii generis substitutiones pertineat? Et putem, ad hanc substitutionem, SI INTRA PUBERTATEM DECEDET, EI TITIVS HAERES ESTO: quae & ipsa tertii generis est, in qua scilicet neuter exprimitur casus, non pertinere, cum extendi eam nihil sit necesse.

[11.] Quaero, utrum constitutio D. PII ad omnes reciprocas substitutiones, impuberibus factas, pertineat, an tantum ad reciprocas & easdem breves? Qui enim ita scribunt, PRIMVM SECVNDV SVBSTITVO, ET SECVNDVM PRIMV SVBSTITVO: reciproce substituunt, non tamen breviter. Sed dicendum est, ad substitutiones has, verbis pluribus & sententiis explicatas, non pertinere D. PII constitutionem. Neque enim absurdum sit, in diversis orationibus verbum idem varie accipi.

[12.] Quaero, quid opus fuerit DIVORVM PII, & MARCI constitutionibus ad extendendum verbum SVBSTITVO, ad casum utrumque: cum interpretationem magis, quam extensionem, desiderare videatur, utpote generale? Et dicendum est, in vulgari usu substitutionem pro vulgari substitutione accipi, quae ita secunda est institutio, ut in primae locum possit evadere. Nam pupillares substitutiones semper secundas continent successiones, neque incipere ab iis testamenta possunt. Quare non ineleganter dici possit, definitionem substitutionis ab ACCVRSIO traditam, vulgari substitutioni proprie convenire, quae institutionis & vim & nomen habet: utrique autem substitutioni definitionem illam esse aptiorem, SECVNDI HAEREDIS APPELLATIONEM.

[13.] Circa DIVORVM SEVERI, & ANTONINI constitutionem quaero, quo modo accipi oporteat *verbum commune*? Et respondeo, *verbum commune* dici *communem orationem & sententiam*. Ita dixit TERENCEIVS, *verum illud*

*verbum est vulgo, quod dici solet, omnes sibi melius, &c.* Ita alio loco, *Neque illud verbum meum facio, dudum quod dixi, Demipho.* Itaque reciproca substitutio duobus pluribusve unico facta verbo & unica sententia, *verbo communi fieri* dicitur.

[14.] Quaero, num ad reciprocas tantum substitutiones, factas verbo communi, constitutio SEVERI pertineat? Et respondeo, ad eas tantummodo pertinere. Nam si pluribus verbis, pluribusque orationibus hoc modo, PRIMVM SECVNDV SVBSTITVO, SECVNDVM PRIMV SVBSTITVO: vel ita, PRIMVM SECVNDV, SECVNDVM PRIMV SVBSTITVO, invicem fratres essent substituti, absurdum & incongruens non videretur, in unius persona duplicem, in alterius vulgarem tantum intelligi factam substitutionem. Quod in uno verbo, unaque sententia incongruens sit & absurdum. Vnum namque & idem verbum in reciprocante substitutione eodem modo accipi oportet, quo utrique substitui potest. In quo illud notandum est, id quemque dicere intelligi, quod congruenter oratione significatur, ut in *l. quamvis 4. C. eod.* Neque tam pupilli utilitas attenditur, cuius interest in casum utrumque haeredem habere, quam sententiae & orationis absurditas evitatur. Cautio igitur est, ut si testator impuberi filio in utrumque casum dare velit substitutum, separatim & duabus orationibus utrique substituat, non communi verbo: & in casum pupillarem impuberi substituat, puberi autem in vulgarem. Nam si in vulgarem impuberi quoque substituat, (quamvis constitutio DIVI MARCI hoc casu locum habeat) quaestio tamen voluntatis relinquatur, num in vulgarem duntaxat casum utrique voluerit dare substitutum? DIVI enim MARCI constitutio voluntati cedit testatoris. Qui ad omnem quaestionem evitandam cautius fecerit, si in utrumque casum expresse impuberi substituerit; ne in pupillarem duntaxat casum videatur substituisse, quemadmodum & in vulgarem duntaxat puberi substituit.

## V. CAIVS Libro tertio ad Legem Iuliam & Papiam.

*Si in testamento haeredes scripti, ita alicui substituti fuerint, ut si is haeres non esset, quisquis sibi haeres esset, is in partem quoque deficientis esset haeres: pro qua parte quisque haeres extitisset, pro ea parte eum in portionem quoque deficientis vocari placet: neque interesse, iure institutionis quisque ex maiore parte haeres factus esset, an vero per legem alteram alicuius partem vindicasset.*

### S V M M A R I V M.

1. Verba quisquis mihi heres erit in vulg. substitutione eandem recipiunt interpretationem,

quam in pupillari.

2. Substituti admittuntur ad hanc substitutionem:

H h 2

3. Et

3. Ex maiore parte existere quis heres potest, quam est institutus.
4. Qua lege hoc constitutum?
5. An, quod ex substitutione alia accedit, portionem augeat substitutionis?

[1.] **G**OVEANVS. Verba haec, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, eandem recipiunt interpretationem in vulgari substitutione, quam & in pupillari. Nam & ad hanc substitutionem ii demum, qui adierunt, & existente substitutionis conditione superfunt, admittuntur: ita tamen, ut satis sit, haeredes aliquando extitisse. Quae omnia exposita sunt ad *l. cum filio 3. supra eod.*

[2.] Quaero, num substituti admittantur ad hanc substitutionem? Et Iureconsultus in *l. ex duobus 34. §. filio 1. infra eod.* scribit admitti. Nam in haeredibus scriptis substituti numerantur.

[3.] Ait Iureconsult. *Pro qua parte quisque haeres extitisset:*) Existere autem maiore ex parte haeres possum, quam ex qua sum institutus. Pone enim aliquid accrevisse, & ita auctam portionem meam. Et hoc nimirum est, quod ait Iureconsult. NEQVE INTERESSE iure institutionis quisque ex maiore parte haeres factus esset, an vero per legem alteram alicuius partem vindicasset.

[4.] Quaero, per quam legem? Et CAIVS Papiam Popaeam dicere videtur: *IUVENALIS, Propter me scriberis haeres, Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.*

Verba sunt, nisi me memoria fallit, Moechi maritos iridentis, quibus ex adulterio uxores liberos pariunt. Eos, quibus liberi erant, ca-

6. Num secundus, qui duas uncias habet, alteram ex institutione, alteram ex substitutione, duplam portionem habiturus sit in bessa Quinti?
7. Si substituaturnominatim, portiones fiunt viriles.

duca ex eo testamento vindicasse, in quo haeredes ipsi essent instituti, ex eo intelligi potest, quod VLPPIANVS *tit. de fideicom. scribit, Si quis in fraudem fisci tacitam fidem accommodavisset, illi Senaturn quartae retentionem ademisse, nec vindicare ex eo testamento caducum potuisse, si liberos haberet.*

[5.] Quaero, num quod ex substitutione alia accedit, portionem augeat substitutionis? ut ecce, PRIMVS EX VNCIA MIHI HAERES ESTO. SECVNDVS EX VNCIA MIHI HAERES ESTO. TERTIVS EX VNCIA MIHI HAERES ESTO. QVARTVS EX VNCIA MIHI HAERES ESTO. QVINTVS EX BESSE MIHI HAERES ESTO. SI PRIMVS HAERES NON ERIT, SECVNDVS HAERES ESTO. SI QVINTVS MIHI HAERES NON ERIT, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, HAERES ESTO.

[6.] Quaero, inquam, num secundus, qui duas uncias habet, alteram ex institutione, alteram ex substitutione, duplam portionem habiturus sit in bessa Quinti, ita ut ipse quatuor uncias habeat? Et respondeo habiturum: nam in duabus unciis videri institutum, cum substitutio nihil aliud sit, quam secunda institutio: Et prope esse, ut uncia una pure, altera sub conditione relicta videatur. *l. 1. §. id quod. 13. Ad leg. Falc.*

[7.] Quaero, quid si nominatim substituaturn, & non per articulum QVISQVIS? Et eo casu viriles portiones fient. *l. nonnunquam. 24. ad Trebell.*

## VI. TARENTIVS CLEMENS Libro quarto ad legem Iuliam & Papiam.

SI IS, QVI ex bonis testatoris solidum capere non poterat, substitutus sit ab eo impuberi filio eius: solidum ex ea causa capiet, quasi a pupillo capiat. Sed hoc ita interpretari IULIANVS noster videtur, ut ex bonis, quae testatoris fuerant, amplius capere non possit. Quod si pupillo aliquid praeterea acquisitum esset, aut si exhaeredato esset substitutus, non impediri eum capere, quasi a pupillo capiat.

### S V M M A R I V M.

1. Lex haec unde desumpta?
2. Olim uxor plus decima bonorum mariti parte capere non poterat.
3. Quod per leg. 2. Cod. de infirm. poen. coelib. & orb. &c. sublatum.
4. Quae contra legem coierant, mulieres nihil capiebant.
5. Quae ratio dubitationis in hac lege?
6. IULIANI sententia illustratur.



[1.]  OVEANVS. Lex haec defumpta est ex libro quarto TERENTII CLEMENTIS ad legem Iuliam & Papiam, uti testantur Pandectae Flo-

rentinorum.

[2.] Itaque eius casus poni debet non in filio naturali, uti ACCVRSIVS posuit, sed in uxore instituta pro parte, & pupillo substituta, quae olim capere non poterat plus decima bonorum mariti per legem Iuliam.

[3.] Quod hodie sublatum est per l. 2. C. de infirm. poen. coelib. & orb. & decim. subl. De quibus decimis & solidi capacitate scribit VLP-  
PIANVS in *Institu.* Nomine matrimonii decimam unam capere mulier poterat, iure liberorum solidum; quod ius interdum ab Imperatore impetrabatur. IVSTINIANVS *titu. de iure liberor.* liberas inter virum & uxorem voluntates esse voluit.

[4.] Filiis etiam intervenientibus, quaedam mulieres nihil capiebant, quae videlicet contra legem coherant: ut cum famosa mulier, aut libertina Senatori nupserat.

[5.] Ratio dubitationis in hac lege, quia haeres impuberis, etiam abstinentis, haeres est testatoris. *l. si pupillus 89. de acquir. haered.* & a testatore capit. Quamobrem quae ex testamento principali solidum capere non potest, neque ex testamento pupillari solidum posse capere videbatur. In contrarium tamen respondet Iureconsultus propterea quod, qui ex bonis pupilli capit, a pupillo capere propemodum videtur.

[6.] Sed IULIANVS recte distinxit, ut ex bonis quidem testatoris, quae erant in pupilli haereditate, solidum non capiat, quia vere contra legem caperet. Nam & ex bonis, & ex iudicio testatoris caperet: Ex bonis autem ipsius pupilli propriis solidum capiat. Quamvis enim a testatore capit, uti iam diximus, tamen quia de bonis pupilli capit, intelligi a pupillo capere. Quae sententia rationem illam habet, quod poenae adiuvandae non sunt. Notandum insuper est, particulam QVASI, hoc in loco, veritatem non exprimere. Est cum veritatem exprimit: ut in *l. ait Praetor 7. §. sed quod Papinianus 10. de minorib.*

## VII. PAPINIANVS Libro sexto Responsorum.

*Verbis civilibus substitutionem post decimum quartum annum aetatis frustra fieri convenit. Sed, qui non admittitur ut substitutus, ut adiectus haeres quandoque non erit: ne fiat contra voluntatem, si filius non habeat totum interim, quod ei testamento pater dedit.*

### S V M M A R I V M.

1. Haec lex ad compendiosam substitutionem non pertinet.
2. Sed ad eas, quae a pubertate incipiunt.
3. An substitutio haec facta post pubertatem pro-

- ficiat ad causam fideicommissi?
4. Verba civilia quae?
5. Adiectus heres pro coherede.
6. Quandoque pro quocumque & similia.

[1.]  OVEANVS. ACCVRSIVS, BARTOLVS & ALEXANDER legem hanc intelligunt de compendiosa substitutione facta a pagano. Ego ex l. precibus 8. C. eo. militaris sub-

stitutionis speciem dixi compendiosam: & a militari, in qua certa post pubertatem exprimitur aetas, differre: cuiusmodi illa est substitutio in l. Centurio 15. *infra eod.* quam perperam compendiosam homines minime mali vocant: Militarem porro esse substitutionem, quae verbis directis pupillarem aetatem egreditur: neque eam modo, sed omnem substitutionem, quae iure militari fit, quemadmodum suo tempore dicemus. Quae cum ita sint, lex haec ad compendiosam

substitutionem pertinere non potest. Quin ne ad eas quidem substitutiones videtur pertinere, quibus aetas pupillaris comprehenditur, hoc modo, SI FILIVS MEVS INTRA XV. ANNUM DECESSERIT. Neque enim frustra fiunt huiusmodi substitutiones, cum intra pubertatem valeant. *l. in pupillari 14. infra eod.* valeantne iure directo, ut nihil sit necesse quaeri, num quasi cohaeredes admitti debeant substituti?

[2.] Existimo itaque, legem istam ad eas substitutiones pertinere, quae a pubertate incipiunt, hoc modo, SI FILIVS MEVS POST XIII. ANNUM DECESSERIT. Quas substitutiones frustra profus fieri, respondit PAPINIANVS: cum neque in id profint, ut quasi adiectus haeres substitutus admittatur, ne filius interim non habeat totum, quod ei pater testamento dedit.

dedit. Interdum namque ex substituto fieri cohaerem, ut in *l. si paterfamilias 40. de haered. instit.* Et vetere iure, institutus ita, ut nisi intra certum tempus cerneret, Maevius haeres esset: gerendo pro haerede, substitutum in partem admittebat. Quod D. MARCVS postea correxit, uti scribit VLPIANVS in *Institution. sub titulo, qui haered. institu. poss.* Hinc etiam illud est, quod in *l. Lucius 53. de haered. instit.* dubitabatur de servo, num ut cohaeres admitti deberet eius, cui datus fuerat substitutus?

[3.] Quaero, num substitutio ista facta post pubertatem proficiat ad causam fideicommissi? Et respondeo, non proficere. Neque enim frustra fieret, si quasi fideicommissum valeret. Quasi fideicommissum non valere argumento fuerit. *l. si servus legatus 108. §. si servus alienus 9. de leg. 1. & l. servo 9. C. de testam. manumiss.* Quibus in locis servo alieno directa libertas frustra datur. Quod si favor libertatis verbum directum ad causam fideicommissi non trahit, nulla res omnino trahet. Ita quoque substitutio, in qua longius pubertate tempus comprehensum est, ad causam fideicommissi non trahitur post pubertatem: cum eam pubertate finiri scribat Iureconsultus in *d. l. in pupillari 14.* nisi forte a milite facta sit substitutio, vel compendio, vel expressa certa post pubertatem aetate. Nam intra pubertatem utraque valet substitutio iure communi, sive directo. *l. Centurio 15. infra eod.* Post eam aetatem iure fideicommissi. *l. precibus 8. C. eo.* Privilegium namque militis in eo ver-

fatur, ut facta ab eo verbis directis pupillaris substitutio, valeat post pubertatem iure fideicommissi. Id quod pagano non tribuitur, qui neque ex tempore, neque ad tempus haerem facere potest. Quod utrumque quia miles potest, post pubertatem substituendo, videtur ex tempore sua bona ad substitutum transferre. Neque obstat iis, quae diximus, *l. Scaevola 76. ad Trebell.* ubi substitutio in codicillis posita, benigna interpretatione, quasi fideicommissaria, ideo accepta est, quod obliquarum is locus sit, non directarum dispositionum.

[4.] Ait PAPINIANVS: *Verbis civilibus.*) Verba civilia PAPINIANVS vocat *legitima, communia & vulgaria.* Quibus opponuntur *precaria, obliqua, fideicommissorum verba.* De quo scripsimus *lib. 1. lection. var. ad l. eam, quam.*

[5.] Ait Iureconsult. *Adiectus haeres.*) Ita cohaeres appellatur in *l. si haeres. 7. famil. erisc.* ubi male quidam libri habent *Addictum.*

[6.] Ait Iureconsult. *Quandoque.*) Pro *quandoque.* Ita accipitur in *l. II. de bon. aut. iudic. poss.* Ita TERENCEVS dixit, *Quae cuius vita ut sit,* pro *Cuiusque.* Et alio loco, *Quae solet quos spernere,* pro, *Quosque,* vel *Quoscunque.* Ita MARC. TVLLIVS ad *Marcellum,* *Cuiusmodi,* Pro *Cuiuscunquemodi,* dixit. Ita accipiendus est Senarius ab eodem relatus in *Oratore ad Brutum,* *Quae chara quam sint, post carento intelligas.* ut *Quae* pro *Quaequae* accipiat.

## VIII. VLPIANVS Libro quarto ad Sabinum.

*Qui liberis impuberibus substituit, aut pure, aut sub conditione solet substituere. Pure sic, SI FILIVS MEVS INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO. Sive enim Seius iste haeres institutus sit & impuberi substitutus: sive solus substitutus, nullam habet conditionem; sub conditione autem institutum si substituat, id est, SI MIHI HAERES ERIT: non aliàs existet haeres ex substitutione, nisi ex institutione haeres fuerit. Cui similis est & haec substitutio QVISQVIS MIHI EX SVpra SCRIPTIS HAERES ERIT. habet enim in se eandem conditionem similem superiori.*

## S V M M A R I V M.

1. Filio impuberi aut pure aut sub conditione substituitur.
2. Varians lectio ex Florentinis Pand. citata.

3. Verba huius leg. similem superiori interpretis esse censenda.

[1.] **G**OVEANVS. Qui filio impuberi substituit, aut pure, aut sub conditione substituit. Pure sic, SI FILIVS MEVS INTRA XIII. ANNUM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO. Nam conditionales substitutiones

ae duntaxat faciunt conditiones, quae adventitiae sunt. Neque refert, Seius institutus sit haeres & impuberi substitutus, an solum substitutus; utroque enim casu pure est substitutus. *arg. l. haeredis 7. §. tractari 5. quando dies leg. ced.* Neque movet, quod ex parte institutus, & im-

impuberi substitutus, nisi patri haeres extiterit, impuberis haereditatem non obtineat. *l. sed si plures* 10. §. *filio impuberi* 2. *infra eod.* Id enim fit, non propter conditionem ullam, sed propter coniunctionem haereditatum. Nam & e contrario, si patri haeres Titius extiterit, impuberis haereditatem ex substitutione repudiare non poterit. *l. quidam* 20. *C. de iure delib.* Is igitur demum impuberi sub conditione substituet, qui sic scribet, SI SEIVS MIHI HAERES ERIT:

vel, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. Nam posterior articulus similem conditionem habet superiori. Neque refert, solusne Seius, an cum alio, pupillo substituatur? *l. ita tamen* 27. §. *qui suspectam* 2. *ad Trebell.*

[2.] Ait Iureconsultus. *Solus.*) In Pandectis Florentinorum legitur SOLVM.

[3.] Ait Iureconsultus. *Similem superiori.*) Haec interpretis videntur. Illud enim satis est, EANDEM CONDITIONEM.

§. I.

Ait VLPIANVS. Haec verba, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM IMPVBERI FILIO HAERES ESTO: hunc habent sensum, ut ei, non omnis, qui patri haeres extiterit, substitutus videatur. Et ideo neque pater, qui per filium, neque dominus, qui per servum haeres extitit, ad substitutionem admittitur. Sed neque haeredis haeres, quia non ex iudicio veniunt. Partes quoque eadem ad substitutos pertinent, quas in ipsius patrisfamilias habuerunt haereditate.

S V M M A R I V M.

1. Incerta persona olim institui non poterat; ideo neque heres heredis admittebatur.

2. Neque obstat *l. 59. de acquir. hered.*

[1.] **G**OVEANVS. Per verba ista, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT constat, neque dominum, neque patrem ad substitutionem admitti, quibus per servum & filium haereditatis quaesita portio est: neque haerodem haeredis, quia incerta persona est. Incerta autem persona certo iudicio non instituitur. Propter quam causam, qui nati non erant, olim non instituebantur. Sed postea placuit Prudentibus, eos posthumos institui, qui praeteriti rumperent testamenta. Quae ratio cum cessaret in posthumo alieno,

eius institutio iure civili recepta non fuit. Novissime tamen recepta est a IUSTINIANO §. *posthumus. de lega. lib. II. Institut.*

[2.] Opponit AGCVRSIVS *l. qui patri* 59. *de acquir. hered.* Vbi haeres haeredis ad impuberis haereditatem admittitur. Verum in ea *l.* per ius id fit accrescendi.

De eo, quod postremo loco ait Iureconsultus. *Easdem partes habituros in substitutione, ex quibus erant instituti, diximus supra ad l. si in testamento* 5.

IX. LABEO Libro primo posteriorum a Iaboleno epitomatorum.

SI PATER filio impuberi eosdem, quos sibi, & te unum praeterea haerodem instituit: bonorum filii te dimidium, caeteros patris haeredes communiter dimidium ita habere, ut unus semis apud te maneat: alterius semissis pro iis partibus in haeredes paternos divisio fiat, quibus ex partibus haereditatem paternam haberent.

S V M M A R I V M.

1. De qua substitutione hic locus intelligendus?

2. Exponitur *l. 88. §. II. de Leg. II.*

[1.]



OVEANVS. Libri quidam paragraphum legis superioris faciunt hoc principio, LABEO QVOQVE SCRIBIT, &c. ut sententia LABEONIS ab VLPIANO referatur.

Nam & VLPIANI meminit Imperator in *l. ult. C. eo.* Videtur autem locus hic intelligendus de substitutione, quae fit per haec verba, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. Nam & locus superior, & qui proxime sequitur, de eadem ista substitutione loquuntur. Vt autem legum contrarietas evitetur manifesta, non male legem hanc intelligas de huiusmodi substitutione verbis duobus explicata, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FILIO IMPVBERI HAERES ESTO. TITIVS FILIO IMPVBERI HAERES ESTO. Idque Iureconsultus ipse videtur significare illis verbis, ET TE VNVM PRAETEREA. Nam imperator in *d. l. ult.* scribit, facta iis verbis substitutione ab eo, qui haeredes duos instituerat, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, ET TITIVS FILIO IMPVBERI HAERES ESTO, trientes fieri, non semisses: ut de ea substitutione locus hic intelligi non possit. Nisi quis dicat, sententiam VLPIANI, improbatam ab Imperatore, relictam hoc loco incuria & negligentia TRIBONIANI: ut in *l. debitor 82. de leg. II. l. naturalis 5. §. 3. de praescrip. verbis.* & in *l. si non sortem 26. §. penult. de condiç. indeb.* Imperatorem ratio illa movit in *d. l. ult.* Quod articulus QVISQVIS, distributivus est, ut haeredes instituti, in unam eandemque portionem coniuncti non videantur. LABEO vero, vir Philosophiae plenus, illud animadvertit, hanc sub-

stitutionem, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, vel in uno haerede consistere. *l. Lucius 45. §. ult. hoc titu.* ut quamvis plures reperiantur, non debeant tamen plus auferre quam unus. Quae ratio digna est Iureconsulto & Philosopho.

[2.] Opponit ACCVRSIVS *l. Lucius 88. §. Lucius 11. de leg. II.* quo in loco PRAEDIOLVM LIBERTIS, LIBERTABVSQVE MEIS, ET QVOS TESTAMENTO MANVMISI, ET SEIAE DARI VOLO. Iussum inter legatarios aequis portionibus dividitur, neque semissem Seia auferret. ACCVRSIVS varie respondet, ut fere solet. Ego puto, in *l. Lucius.* eo fieri partes viriles inter legatarios, quia legatum iis verbis relictum sit, DARI VOLO. Quae propria sunt legati relictum per damnationem. Quibus autem eadem res per damnationem relinquebatur, ii coniuncti non intelligebantur, nec erat inter eos ius accrescendi, uti scribit VLPIANVS in *titu. de leg. in Instit.* Cui rei argumento esse potest, *l. si Titio & ei. 7. de legat. II.* Si igitur testator in *§. Lucius.* ita scripsisset, PRAEDIOLVM MEVM LIBERTIS, LIBERTABVSQVE MEIS, ET QVOS TESTAMENTO MANVMISI, ET SEIAE DO LEGO: Seia semissem auferret. *l. si quis Atti. & haeredibus 7. de usufruct. accresc.* facit *l. interdum 13. in principio, de haered. instit.* Illud praetereundum non est, *d. l. ult. C. de impub.* non pertinere ad substitutiones has, HAEREDES MEOS ET TITIVM IMPVBERI SVBSTITVO. QVOS MIHI HAEREDES SCRIPSI, ET TITIVS HAEREDES SVNTO. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, ET TITIVS FILIO HAERES ESTO. FILIVS HAERES ESTO. Nam ex iis omnibus substitutionibus sine dubio ad semissem Titius vocatur.

## X. VLPIANVS Libro quarto ad Sabinum.

*Sed si plures sint ita substituti, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPPTIS HAERES ERIT. Deinde quidam ex illis, posteaquam haeredes extiterunt patri, obierunt: soli superstites ex substitutione haeredes existent, pro rato partium, ex quibus instituti sunt. Neque quicquam valebit ex persona defunctorum.*

## S V M M A R I V M.

1. In substitutionibus proximi accipiuntur haeredes, non haeredes heredum.
2. Si tempore mortis pupilli nemo ex substitutis supervit, haeredes heredum iure accrescendi uti

possunt.

3. Substituti autem superstites quomodo hereditatem acquirant?

[1.]



OVEANVS. Dubitationem in lege hac duplex ratio facit. Altera ex *l. sciendum 70. de verbo signi.* Altera ex *l. si post diem 5. quan. di leg. ced.* Sed verius est, in substitutionibus proximos accipi haeredes, non haeredes heredum,

Et quamvis substitutionis conditionem impleverit, qui testatori haeres extitit, propter quam causam videbatur ad haeredem transmisisse impuberis haereditatem: tamen decessit ante diem cedentem haereditatis pupillaris, cuius dies, uti mox dicemus, cedit a morte pupilli.

- [2.] Quaero, si ex substitutis nemo supervit, quo

quo tempore pupillus moritur, qui vocentur ad pupilli haereditatem? Et puto, hoc casu haeredes haeredum iure accrescendi uti posse. *arg. l. qui patri 59. de acquir. haered.*

[3.] Quaero, superstites substituti quomodo

acquirant haereditatem pupilli? Et respondeo, novam illis esse necessariam additionem. *l. ita tamen 27. §. a patre 4. ad Trebell.* Nam *l. toties 81. de acquir. haered.* de vulgari substitutione loquitur.

§. I.

Ait Iureconsult. *Quos possum haeredes mihi facere necessarios, possum & filio: ut servum meum & fratrem suum, quamvis in rebus humanis nondum sit. Igitur posthumus erit fratri haeres necessarius.*

S V M M A R I V M.

1. Quinam heredes necessarii dicantur & fiant?

[1.] **G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. moribus 2. §. prius 4.* Necessarii sunt, non qui adire coguntur, nemo enim cogitur. *l. nec emere 16. C. de iure deliber.* Sed qui non possunt repudiare. Et ex iis, filii non testamenti modo causam omitunt, verum in totum etiam haereditate abstinunt. Servi ex testamento haeredes esse coguntur. *l. necessariis 57. de acquirenda haered.* Filii necessarii nascuntur: Necessarii fiunt nepotes & servi: illi successione, servi institutione. Sic impuberis frater & servus testatoris filio impuberi substitutus, fit impuberi necessarius, etiam exhaeredato. Neque dilatio aperturae tabularum ius necessarii haeredis mutat. *l. 3. §. ult. de haered. instit.* Sane, si servus communis impuberi substituatur, non erit necessarius, nisi partem postea testator redemerit. Nam si pupillus

redemerit, non fit necessarius. *l. sed & si 6. §. ult. de haered. instit.* ut neque a pupillo alienatus, desinit esse necessarius. *l. pater filio 54. de haered. instit. l. ult. §. ult. hoc tit.* Eo autem testatoris servus fit impuberi necessarius, quia unum testamentum est patris & filii. *l. moribus 2. §. prius 4.* Eadem ratio facit, ut impubes fratrem posthumum haereditatem ex testamento habere possit, quamvis frater fratri posthumus sit alienus. Posthumos autem alienos quamvis legitimos haberes haeredes ex GALLI sententia. *l. a fratris posthumo 127. de legat. 1.* (sic enim lego, non AB HAEREDE) tamen ex testamento non habebas. De quo plene scripsimus ad *l. Gallus 29. BARTOLVS* putat, etiam suum fieri posthumum fratrem fratri: Quam sententiam superius refutavimus.

Quaero, possitne fratri impuberi substitutus abstinere impuberis haereditate? De qua quaestione dicemus ad *l. si filius 12. infra eod.*

§. II.

Ait Iureconsult. *Filio impuberi haeredi ex assse instituto substitutus quis est. Exstitit patri filius haeres: an possit substitutus separare haereditates, ut filii habeat, patris non habeat? Non potest. Sed aut utriusque debet haereditatem habere, aut neutrius. Iuncta enim haereditas coepit esse. Idemque est, & si pater me haereditatem scripserit ex parte, filium ex parte, & ego patris haereditatem repudiavero. Nam neque filii haereditatem habere possum.*

S V M M A R I V M.

1. Quae ratio dubitationis in h. §.  
2. 3. 4. 5. Sensus legis explicatur?

6. Qui partem hereditatis repudiat, alteram acquirere non potest.

[1.] **G**OVEANVS. In hoc §. ratio dubitationis illa est, quod in duplicibus tabulis duae versantur haereditates: ac proinde videntur posse separari. Verum duae istae haereditates in unam coalescunt. *l. si filius-famil. 33. in fin. & l. qui patri 59. de acquir. haered.*

[2.] Ait Iureconsult. *Exitit patri filius haeres.)* Ex testamento haereditati se paternae immiscendo. Neque enim aliter pupillaris consisteret substitutio.

[3.] Quaero, quid si non exitisset patri haeres? Et eo casu neque coniuncta haereditas esse coepisset, neque valerent tabulae pupillares, non quaesita ex paterno testamento haereditate. Nam filius ex asse ponitur institutus.

[4.] Ait Iureconsult. *Patris non habeat.)* Et e contrario.

[5.] Ait Iureconsult. *Iuncta namque haereditas esse coepit.)* Bona patris & filii in unam haereditatem coalescunt, postea quam patri filius haeres extitit. Neque enim unius personae intelligi possunt duae haereditates.

[6.] Ait Iureconsult. *Idemque est, si pater me ex parte.)* Propter eandem coniunctionem haereditatum. Nam qui partem haereditatis paternae repudiat, alteram partem, quae cum bonis pupilli coniuncta est, quasi sub conditione sibi relictam, acquirere non potest. *l. cobraeredi. 41. §. cobraeres 6. infra eod. & per consequens neque ipsam pupilli haereditatem.* Opponit ACCURSIVS *l. ita tamen 27. §. qui suspectam 2. ad Trebell.* Ad quam respondebimus ad *l. ex duobus 34. §. filium 1. infra eod.* Opponit *l. si filius, qui patri 12. infra eod.* quam suo loco exponemus.

### §. III.

Ait Iureconsult. *Si ex asse haeres institutus, filio exhaeredato substitutus, repudiaverit patris haereditatem, cum non haberet substitutum, non poterit filii adire. Nec enim valet filii testamentum, nisi patris fuerit adita haereditas. Nec sufficit ad secundarum tabularum vim, sic esse factum testamentum, ut ex eo adiri haereditas possit.*

### S V M M A R I V M.

1. *Heres si ex parte institutus est, repudiata hereditate patris, filio exhaeredato substitutus hereditatem obtinet.*

2. *Nudo nomine sui heredis non confirmantur tabulae pupillares.*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Ex asse.)* Secus si ex parte. Tum enim cohaeres testamentum sustineret, & repudiata haereditate patris, filii exhaeredati haereditatem substitutus obtineret. *d. §. qui suspectam 2. ad Trebell.*

[2.] Ait Iureconsult. *Neque sufficit.)* Hinc colligi liquido videtur, nudo nomine sui heredis non confirmari tabulas pupillares. Cum fa-

tis non sit, adiri posse haereditatem: sed illud omnino requiratur, ut adeatur. Sane in bonorum possessione contra tabulas, illud duntaxat requirimus, ut adiri possit ex testamento haereditas, quamvis adita non sit. *l. illud 4. l. quod vulgo 19. de bon. possess. con. tab.* Quod secus est in querela inofficiosi, quae adita demum haereditate nascitur. *l. Papinianus 8. §. si conditioni 10. de inoffic. testamen.*

### §. IV.

Ait Iureconsult. *Ad substitutos pupillares pertinent, & si quae postea pupillis obvenierint. Neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis: cum & exhaeredato substituere quis possit. Nisi mihi proponas, militem esse, qui substituit haeredem hac mente, ut ea sola velit ad substitutum pertinere, quae a se ad institutum pervenerunt.*

## S V M M A R I V M.

1. *Vulg. substitutio, quae in pupillari continetur, ad bona tantum impuberis pertinet.*

2. *Miles eiusque filius pro parte testati pro parte intestati decedere possunt.*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Neque enim suis bonis.*) Impuberi qui substituit, bonis impuberis substituit: cum in secundis tabulis impuberis haereditas versetur. Sane per fideicommissum suis duntaxat bonis testator substituit. *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod.* Hinc intelligi potest, vulgarem substitutionem, quae in pupillari continetur, ad bo-

na ipsius impuberis, non autem testatoris pertinere.

[2.] Ait Iureconsult. *Nisi mihi proponas militem.*) Recte ACCVRSIVS, militem & filium militis impuberem pro parte testatos, pro parte intestatos posse decedere. *l. miles 41. §. si miles 3. de milit. testam.*

[3.] Ait Iureconsult. *Ea mente.*) probare itaque oportet, ea mente militem fuisse.

## §. V.

Ait Iureconsult. *In arrogato autem impubere dicemus ad substitutum eius ab arrogatore datum, non debere pertinere ea, quae haberet, si arrogatus non esset: sed ea sola, quae ei ipse dedit arrogator. Nisi forte distinguamus, ut quartam quidem, quam omnimodo ex rescripto DIVI PII debuit ei relinquere, substitutus habere non possit: at superfluum habeat. SCAEVOLA tamen libro X. Quaestionum, putat, vel hoc arrogatori permittendum. Quae sententia habet rationem. Ego etiam amplius puto, & si quid beneficio arrogatoris adquisivit, & haec substitutum posse habere: ut puta arrogatoris amicus, vel cognatus ei aliquid reliquit.*

## S V M M A R I V M.

1. *An ad substitutum ab arrogatore datum ea pertineant, quae haberet arrogatus, si arrogatus non fuisset?*

2. *Quarta D. PII vocatur aes alienum.*

3. *Beneficio arrogatoris h. l. est occasione & contemplatione.*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Non debere pertinere.*) Immo vero ipso iure pertinent: sed cautione legitimis succurritur. De qua in *l. nec aliter 18. de adopt.*

[2.] Ait Iureconsult. *Vt quartam quidem, quam, &c.*) Haec quarta, quam in bonis arrogatoris impubes habet, ex D. PII rescripto *aes alienum* appellatur. *l. si arrogator 22. de adopt. l. Papinianus 8. §. si quis impubes 15. de inoffic.*

*testam.* in qua ne verbis quidem fideicommissi, post pubertatem arrogator substituere potest. *d. l. si arrogator 22.* Quarta autem ista, est quarta bonorum, quae arrogator moriens reliquit. *l. ult. si quid in fraudem patr.*

[3.] Ait Iureconsult. *Et si quid beneficio arrogatoris.*) Occasione & contemplatione. Nam de iis, quae impuberi arrogator dedit, iam dixerat. Et facit *l. aditio 45. de acqui. haered.*

## §. ult.

Ait Iureconsult. *Nemo institutus & sibi substitutus, sine causae mutatione quicquam proficit. Sed hoc in uno gradu. Caeterum, si duo sint gradus, potest dici valere substitutionem. Et IULIANVS libro XXX. Digestorum putat, siquidem sibi substitutus sit, cum haberet cohaerem Titium, SI STICHVS HAERES NON ERIT, LIBER ET HAERES ESTO: non valere substitutionem. Quod si ita, SI TITIVS HAERES NON ERIT, TVNC STICHVS LIBER ET HAERES ET IN EIVS PARTEM ESTO: duos gradus esse: atque ideo repudiante Titio, Stichum liberum & haeredem fore.*

## S V M M A R I V M.

1. *Vsque ad 9. lex summatim explicatur.*  
 10. *Quem testator institutum substituit, ultra ex causa malit, heres esse potest.*

[1.] OVEANVS. Ait Iureconsult. *Sine causae mutatione.*) Causa institutionis mutatur in substitutione, cum sub conditione institutus pure substituitur. *l. ult. §. Titius haeres 1.*

*infra eodem.*

[2.] Ait Iureconsult. *Et hoc in uno gradu.*) Vnus gradus esse videtur, cum quis recta sibi substituitur, hoc modo. TITIVS HAERES ESTO, SI TITIVS HAERES NON ERIT, TITIVS HAERES ESTO.

[3.] Ait Iureconsult. *Caeterum si duo sint gradus.*) Duo gradus sunt, cum Titius hoc modo sibi substituitur, TITIVS HAERES ESTO, SI HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO: SI SEIVS NON ERIT, TITIVS ESTO.

[4.] Ait Iureconsult. *Valere substitutionem.*) Vt omissa institutione, substitutionem amplecti Stichus possit, quamvis causa mutata non sit. *l. 1. §. si proponatur 5. si quis omissa cau. test.*

[5.] Ait Iureconsult. *Et IULIANVS libro xxx. Digestorum putat.*) Alii libri, ET IULIANVS LIBRO XXX. DIG. PROBAT. Quae lectio magis placet.

Ait Iureconsult. *Cum haberet cohaerem Titium.*) Adiectio ista cohaeredis videbatur facere utilem hanc substitutionem. SI STICHVS HAERES NON ERIT, STICHVS LIBER ET HAERES ESTO: Vt repudiante Titio, Stichus ad eius portionem ex hac substitutione recte admittendus videretur.

[6.] Ait Iureconsult. *Non valere substitutionem.*) Quia unus gradus est, & Stichus recta sibi substituitur. Nec enim adiectio cohaeredis

11. *Qui suo substituto substituitur, sibi substitutus intelligitur.*

12. *Causa institutionis in substitutione videtur mutata.*

duos gradus facit.

[7.] Ait Iureconsult. *Duos gradus esse.*) Quia Stichus per interpositam cohaeredis Titii personam sibi substituitur, non recta, ut in casu superiore.

[8.] Ait Iureconsult. *Atque ideo.*) Quia duo sunt gradus.

[9.] Ait Iureconsult. *Repudiante Titio Stichus liber & haeres.*) Ex substitutione, cuius maior modus est, quam institutionis.

[10.] Quaero, quomodo Stichus cum libertate institutus possit ex institutione non esse haeres, cum haeres sit necessarius? Et magis est, ut, quem testator institutum substituit, in eius arbitrio relinquere videatur, ultra ex causa haeres esse malit. *d. §. si proponatur.*

[11.] Quaero, in substitutione hac, STICHVS LIBER ET HAERES ESTO. TITIVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAERES NON ERIT. STICHVS LIBER ET HAERES ET IN PARTEM TITII ESTO.

Quaero, inquam, quonam modo Stichus sibi dicatur *substitutus*? Et respondeo, quia cohaeredi substituitur. Cohaeres autem quasi substitutus accipitur. *l. si Titio 61. §. Iulianus 1. de legat. II.* Qui autem suo substituto substituitur, ipse sibi substitui intelligitur.

[12.] Quaero, num sit mutata causa institutionis in substitutione? Et respondeo, mutata videri, cum substitutionis maior, quam institutionis modus sit. Verum id in gradibus duobus non spectari. Nam substitutionem hanc valere, TITIVS HAERES ESTO: SI NON ERIT, SEIVS ESTO: SI SEIVS NON ERIT, TITIVS ESTO, quamvis substitutionis causa non mutetur.

## XI. PAVLVS Libro primo ad Sabinum.

*Si is, qui haeres institutus est, filio substitutus sit: nihil oberit ei in substitutione, si tunc capere possit, cum filius decessit. Contra quoque potest poenas in testamento pupilli pati, licet in patris passus non sit.*

## S V M M A R I V M.

1. *Qui ex patris testamento capere nequit, potest tamen ex filii interdum capere.*  
 2. *Coelebs, tempore mortis pupilli maritus, ex substitutione pup. capere potest.*  
 3. *Poenas coelibatus quomodo in testamento pupilli patitur, qui in patris testamento passus non est.*



[1.] **G**OVEANVS. Quia patris & filii unum est testamentum, videtur ex filii testamento capere non posse, qui ex patris capere non potuit; Et e contrario. Verum aliter se habet: propterea, quod haereditatis paternae & pupillaris dies non simul cedit. Vti enim iam superius diximus, a pupilli morte cedit dies pupillaris haereditatis, quo tempore quaeri oportet, num substitutus capere possit? Eadem decisionis ratio est in *l. qui plures* 23. & in *l. in substitutione* 31. *infra eodem.*

[2.] Ait Iureconsult. *Si tum capere possit.*) Per legem *Iuliam & Papiam*: qua caelebs ex

testamento capere prohibebatur. Is tamen, si maritus erat tempore mortis pupilli, ex substitutione pupilli capere poterat.

[3.] Ait Iureconsult. *Poenas.*) Quas sustulisse Imperatores in *tit. de infirm. poen. caelib. & orb.* superius diximus.

Ait Iureconsult. *In testamento pupilli.*) Pone, maritum tempore mortis testatoris, & orbem tempore mortis pupilli, pone, uxorem tempore mortis testatoris, viduam moriente pupillo: cui lex *Iulia* a morte viri anni duntaxat vacationem tribuebat, intra quem ex testamento capere posset.

XII. PAPINIANVS Libro tertio Quaestionum.

**SI FILIVS**, qui patri, ac postea fratri ex secundis tabulis haeres extitit, haereditatem patris recuset, fraternam autem retinere malit: audiri debet. Iustus enim Praetorem facturum, existimo, si fratri separationem bonorum patris concesserit. Etenim ius dicenti propositum est, liberos oneribus haereditariis, non sponte susceptis, liberare, non invitos ab haereditate removere: praesertim, cum remotis secundis tabulis legitimam haberet fratris haereditatem. Itaque legata duntaxat ex secundis tabulis praestari debent, habita ratione facultatum in *Falcidia*, non patris (ut alias assolet) sed impuberis.

S V M M A R I V M.

1. Quomodo haec lex intelligenda & cum *l. 10. §. 2. supr. concilianda?*
2. Ius dicens est Praetor.
3. Cur Praetor filiis concedat prae aliis beneficium abstinendi?
4. Praetor invitum fratrem ab hereditate non removet.

5. Cur Praetor separationem bonorum concedere debeat, remotis secundis tabulis?
6. Ex secundis tabulis legata duntaxat praestanda.
7. Cur in *h. l.* ratio non habeatur in *Falcidia* bonorum ipsius testatoris?

[1.] **G**OVEANVS. Testator filios duos haeredes scripsit, impuberi fratrem substituit: uterque patri haeres extitit necessarius. Defuncto postea fratri impuberi, frater haeres extitit, & quidem necessarius. Urgentibus creditoribus paternis & legatariis, frater, qui & patri & fratri extiterat haeres necessarius, bonorum paternorum separationem a Praetore postulavit: ne creditores paterni bona fratris impuberis attingerent. Quaesitum est, essetne separatio ista bonorum concedenda? Et PAPINIANVS respondit, concedendam. Duri namque & iniqui Praetoris esset, filio duntaxat permittere abstinere. Ita enim fratris haereditate frater privaretur. Nam, qui ex parte a patre institutus abstinet, non potest impuberis, haeredis instituti

ex altera parte, haereditatem obtinere. *l. sed si plures* 10. §. *filio* 2. in illis verbis, **IDEMQUE EST**, &c. *supra eod.* Partim enim iudicium testatoris approbaret, partim improbaret. Itaque extraneus ex parte haeres institutus, filio impuberi ex altera parte instituto substitutus, repudiata sua parte, ad impuberis haereditatem non admittitur. Quod autem in extraneo repudiatio, idem in suo abstentio operatur. Qua ratione conciliandus est *d. §. filio.* cum hac lege. Neque enim hic petit filius, ut sibi liceat abstinere, sed ut bona patris ab impuberis haereditate separentur.

[2.] Ait Iureconsult. *Etenim ius dicenti.*) *Ius dicentem* appellat, quem Praetorem appellavit. Et ita accipitur in *l. 1. de iurisdict.*

Ait Iureconsult. *Propositum est.*) In beneficio abstinendi concedendo. De quo in *l. necessariis* 57. *de acquir. haered.*

[3.] Ait Iureconsult. *Oneribus haereditariis, non sponte susceptis, liberare.* Filii enim necessarii haeredes sunt. Atque ideo est, quod eis Praetor ignoscat magis, quam iis, qui sponte haereditates adeunt alienas.

[4.] Ait Iureconsult. *Non invitos ab haereditate remove.*) Removeret autem Praetor fratrem a fratris haereditate invitum, si ei nihil aliud permetteret, quam abstinere. Vti enim iam diximus, abstinere non potest frater, nisi tota haereditate abstineat: Et per consequens, bona fratris coniuncta iam cum haereditate patris, omittat. At, quod in favorem filiorum introductum est, in odium eorum retorqueri non oportet.

[5.] Ait Iureconsult. *Praesertim cum remotis secundis tabulis.*) Altera ratio est, qua Praetorem moveri oportet ad concedendam separationem bonorum. Nam, *remotis secundis tabulis*, hoc est, si frater non fuisset fratri impuberi a patre substitutus, impuberis bona frater ab intestato obtineret. Nunc, quia fratri a patre substitutus est, non potest ab intestato fratris haereditatem obtinere, cum ex testamento sit necessarius. *l. si pupillus 10. §. ult. de acquir haered.* Ira enim loci ii conciliandi sunt, aut, ut verius dicam, intelligendi.

[6.] Ait Iureconsult. *Itaque legata duntaxat ex secundis tabulis praestari.*) Impetrata separatione bonorum paternorum, legata primarum tabularum, in quibus haereditas versatur testatoris, non praestantur. Secundarum vero, in quibus pupilli haereditas continetur, praestabuntur de bonis ipsius pupilli.

[7.] Ait Iureconsult. *Habita ratione facultatum in Falcidia.*) Legata secundarum tabularum de impuberis haereditate praestantur, habita tamen ratione facultatum ipsius testatoris, non pupilli. *l. in ratione 11. §. quod vulgo 5. ad legem Falcid.* Verum in lege hac, propterea non habetur ratio facultatum ipsius testatoris, cuius bona separata sunt a bonis pupilli. Itaque, si legata, relicta in secundis tabulis, excedant doctantem bonorum ipsius impuberis, frater Falcidiam retinebit. De quo plene scripsimus ad *d. l. in ratione 11.*

---

### XIII. POMPONIVS Libro primo ad Sabinum.

*Quo gradu haeres liberis substituatur, nihil interest.*

### XIV. IDEM Libro secundo ad Sabinum.

*IN PUPILLARI substitutione, licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio pubertate.*

GOVEANVS. Leges hae obscuram non habent sententiam. De *l. in pupillari*. dixi-


mus in quaestione illa, Quot modis finiatur substitutio, *supr. ad l. 2. §. 5. p. 120. & in l. verbis 7.?*

### XV. PAPINIANVS Libro sexto Responsorum.

*CENTVRIO filio, si intra vicesimum & quintum aetatis annum sine liberis vita decesserit, directo substituit. Intra quatuordecim annos etiam propria bona filii substitutus iure communi capiet: post eam autem aetatem ex privilegio militum, patris duntaxat cum fructibus inventis in haereditate.*

### S V M M A R I V M.

1. Miles directo & compendio pubertatem in substituendo potest egredi; & quae porro aliae sint praerogativae testamenti Militaris?

[1.] OVEANVS. Paganus verbis directis pubertatem substituendo egredi non potest, verbis fideicommissi potest. *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod. §. ult. de pupil. substit. lib. II. Institut.* Miles egredi di-

recto potest, sive expressa certa aetate post pubertatem, hoc modo, SI FILIVS INTRA XXV. ANNUM DECESSERIT: sive compendio, hoc est, nulla expressa certa aetate, hoc modo, QUANDOCVNQVE FILIVS DECESSERIT. Quae duae species militaris substitutionis ponuntur

tur in *l. precibus 8. in secunda parte. C. eod.* Vtro autem modo miles substituatur, non refert. Nam intra pubertatem substitutus iure communi utetur, & bona tam patris, quam filii, ex quibus facta haereditas una est, obtinebit ex substitutione: post pubertatem vero, ex privilegio militis, hoc est (ut interpretantur Imperatores in *d. l. precibus 8.*) *veluti ex iusta causa fideicommissi*, bona duntaxat militis, cum fructibus inventis in haereditate militis, hoc est, cum fructibus pendentibus, & maturis tempore mortis ipsius militis: nam ii fructus haereditatem augent. *l. in lege Falcidia 45. ad leg. Falcid.* ac per consequens, in fideicommissariam haereditatis restitutionem venire oportet, neque ad eos arbitror pertinere. *l. in fideicommissaria 18. ad Trebel.* Obtinebit autem solida & sine ulla diminutione, quamvis ex causa veluti fideicommissi obtineat. Nam in testamento militis non habet locum Falcidia. *l. 1. §. denique 18. ad Trebel. l. 17. §. 4. de milit. testam. & l. in testamento 12. C. eo.* Quin nec quarta quidem, quae vulgo *naturae* appellatur, de bonis militis detrahatur: utpote cuius testamentum inofficiosum non dicatur. *l. in testamento 18. C. de in-*

*offic. testam.* Bona militis iure directo post pubertatem capi non posse, ex eo intelligimus, quod Imperatores aiunt, *VELVTI EX IVSTA CAUSA FIDEICOMMISSI.* Item ex eo, quod bona militis ab haerede pueri petenda sunt. *d. l. precibus 8.* Postremo, si iure directo bona militis caperet substitutus, post pubertatem filio haereditatem dare posset, & civi Romano puberi testamenti factionem suo privilegio adimeret, quod nequaquam admittendum est. *l. ii. §. merito 10. & §. si quis a principe 16. ne quid in loco pub. fi. l. ex facto 43. hoc tit.* Verumtamen, quia militis privilegium illud est, ut eius bona, ad quem ipse vult, perveniant, cogitur lex fingere & comminisci quoddam fideicommissum, ut privilegium militi conservet. Neque vero ad militem attinet, quomodo sua bona ad substitutum perveniant, iurene directo, an veluti ex causa fideicommissi? satisque habeat, modo perveniant. Porro, quod ait Iureconsultus, *SINE LIBERIS*, eam conditionem cessare faciunt etiam naturales. *l. ex facto 17. §. 1. ad Treb.* Filii autem num in conditione tantum sint, non etiam in dispositione scripsimus ad *d. l. ex facto.*

XVI. POMPONIVS Libro tertio ad Sabinum.

**SI QVIS eum, quem in testamento suo legavit, rursus a substituto filii liberum esse iusserit, liber erit, quasi legato adempto. Nam & in legato in iis testamentis novissima scriptura erit spectanda, sicut eodem testamento & codicillis confirmatis observaretur.**

S V M M A R I V M.

1. Cum *b. l. conspirat l. 2. de statulib.*
2. Legatum, in secundis tabulis ademptum, in primis ademptum quoque censetur.
3. Varians lectio Pand. Flor. praefertur vulgata.

4. Interdum prima scriptura praevalet.
5. In Codicillis confirmari potest, quod in Testamento est relictum.

[1.]  **OVEANVS.** Ait Iureconsult. *Si quis eum.*) Hoc ipsum scribit Iureconsultus in *l. 2. de statulib.*

Ait Iureconsult. *Liber erit.*) Eveniente casu pupillaris substitutionis. *l. in testamento ii. de manumif. test.* Spectandus enim is gradus est, a quo libertas relicta est.

[2.] Ait Iureconsult. *Quasi adempto legato.*) Neque expectamus eventum substitutionis, ut legatum ademptum intelligatur. Cum enim eodem testamento & servus legatur, & liber esse iubetur, praevalet libertas. *d. l. ii. de statul. & l. ult. infra eod.* Patris autem & filii unum est testamentum. Itaque in secundis tabulis ademptum legatum, in primis ademptum censetur,

quemadmodum in codicillis testamento confirmatis ademptum, in testamento ademptum intelligitur. Nam & codicilli testamento confirmati & secunda pars sunt, & appendix principalis testamenti. *l. ab intestato 16. de iure codicil. l. moribus 2. supra eod.*

[3.] Ait Iureconsult. *In iis testamentis.*) In tabulis duplicibus: quae, uti diximus, unum testamentum censentur. Vulgares Codices habent, *ET IN TESTAMENTIS.* Sed superior lectio, quae est Pandectarum Floren. mihi magis probatur. Ex eo autem, quod ait Iureconsultus *ET IN LEGATO*, intelligimus, dationem libertatis *legatum* non appellari, *arg. l. in generali 80. de verb. signifi.* Nam *Lex XII. tabularum* late verbum *legandi* usurpavit. *l. verbis 120. de verb. signi.*

*signi.* Et sane lex Falcidia libertates non minuit. *l. Papinianus 8. §. quarta 9. de ineffic. testam.*

[4.] Ait Iureconsult. *Novissima scriptura.*) Facit *l. si idem servus. 14. l. si quis in principio 22. de leg. II. & III. l. Divi 6. de iure codic.* Interdum sane prima scriptura spectatur: ut in *l. si mihi 12. & in l. si ita sit adscriptum 14. de leg. I.* Si enim quis ita scripserit, *QVAE POSTEA LEGABO, DARI NOLO:* prima scriptura valebit: neque postea legatum debebitur. Neque enim datum videtur, quod ademptum est. *d. l. si ita.*

[5.] Ait Iureconsult. *Sicut in eodem testamento vel codicillis confirmatis.*) In Codicillis confirmari potest relictum in testamento. Nam, uti iam diximus, codicilli autem testamento confirmati, pars testamenti censentur. *l. 2. de iure codic.* Codicilli autem testamento non confirmati, testamenti pars non sunt. Itaque in huiusmodi codicillis, neque legatum adimi potest. Nam legatum nisi in testamento non relinquitur. *§. praeterea. de fideicom. haered. lib. II. Instit.*

## §. I.

*Ait POMPONIVS.* Si suo testamento perfecto, alia rursus hora pater filio testamentum fecerit, adhibitis legitimis testibus, nihilominus id valebit, & tamen patris testamentum ratum manebit. Nam & si sibi & filio testamentum pater fecisset, deinde sibi tantum, utrumque superius rumpetur.

## S V M M A R I V M.

1. Quae ratio dubitationis in h. l.?
2. Si diverso tempore sibi & filio Testamentum pater scribat, 7. testes non sufficiunt.

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Si suo testamento.*) Ratio dubitationis illa est, quod secundo testamento iure perfecto superius tollitur: testamentum autem filii, patris quoque testamentum dicitur. Ratio vero decisionis in contrarium, quod a patris testamento filii testamentum pendet, neque tam testamentum est, quam testamenti paterni pars & sequela. Secundo autem nostro testamento tum demum prius tollitur, cum a priore secundum non pendet.

[2.] Ait Iureconsult. *Adhibitis legitimis testibus.*) Cum eodem contextu tibi & filio testa-

mentum facis, septem testes sufficiunt. Cum autem alio tempore tibi, alio filio testaris, utrisque tabulis obsignandis par numerus testium requiritur. Et sane, si in filii testamento alia hora facto, testes non adhiberentur, testamentum non esset. Nam testamentum nihil aliud est, quam voluntatis nostrae contestatio. *Legitimi autem testes* appellantur, Cives Romani puberes. De quo scripsimus *lib. II. de Iurisdictione.* Neque enim legitimus testis est, quisquis testimonium dicere potest.

Ait Iureconsult. *Utrumque superius rumpetur.*) Quia secundum a priore non pendet.

## §. ult.

*Ait POMPONIVS.* SED SI secundum testamentum ita fecerit pater, ut sibi haeredem instituat, si vivo se filius decedat: potest dici, non rumpi superius testamentum: quia secundum non valet, in quo filius praeteritus sit.

## S V M M A R I V M.

1. Testamentum, in quo filius est praeteritus, proficit ad bonorum possessionem secundum tabulas.

[1.] **G**OVEANVS. Locus hic manifeste probat, falso **BARTOLV M** scribere ad *l. Gallus.* filium iis verbis institui, *SI FILIVS ME VIVO DECEDAT.* De quo superius

diximus. Quamvis autem ex eo testamento, in quo filius praeteritus est, acquiri haereditas non possit, proficit tamen ad bonorum possessionem secundum tabulas. *l. II. C. de Edicto Divi Adrian. tol.* De quo alio loco scripsimus.

XVII. IDEM Libro quarto ad Sabinum.

*Substitui liberis etiam potest, qui post mortem eius natus fuerit, cui substitutus haeres fuerit.*

S V M M A R I V M.

1. Filio impuberi substitui etiam potest, qui post mortem eius nasciturus est.

[1.] **G**OVEANVS. Non solum filio impuberi substituere possum eum, qui post mortem meam nascetur: sed etiam eum, qui nascetur post mortem ipsius impuberis. De

quo maior dubitatio est, quia ne vivo quidem pupillo in ea causa futurus est, ut haeres institui possit.

XVIII. VLPIANVS Libro sexto decimo ad Sabinum.

*SI SERVVS communis substitutus sit impuberi cum libertate, si quidem a patrefamiliás fuerit redemptus, erit impuberi necessarius. Si vero ab impubere redemptus sit, non necessarius, sed voluntarius sit haeres, ut IULIANVS libro XXX. Digestorum scripsit. Quod si neque a patre, neque a pupillo fuerit redemptus, aequitatis ratio suggerit, ut ipse pretium partis suae domino offerens possit & libertatem, & haereditatem consequi.*

S V M M A R I V M.

1. Servus communis dupliciter heres institui potest.
2. Iure novo socius partem suam vendere cogitur.
3. Servus cum libertate heres datus filio sit necessarius, si a patre fuerit redemptus.
4. Non vero si ab impubere.
5. Quid, si a neutro redemptus fuerit?
6. Olim servo offerente pretium, dominus vendere non cogebatur.
7. Eiusmodi servus cuius fiat libertus?

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Si servus communis.*) Communem servum & cum libertate, quasi nostrum, & sine libertate, quasi alienum institui posse scribit VLPIANVS in *Institut.*

*gerit.)* Quae facit, ut, quod servus de peculio domino numerat, de suo dare videatur. *l. statuliberos 3. §. servus communis. de statul. facit l. id autem 76. ad legem Falc. l. etiam si. §. Sabinus. de petit. haered.*

[2.] Ait Iureconsult. *Fuit redemptus.)* Hoc iure vendere socius partem suam non cogebatur. Vendendi namque necessitatem imposuit IUSTINIANVS. *l. 1. de com. serv. manu. §. ulti. de dona. libro 11. Institut.*

[6.] Ait Iureconsult. *Vt ipse pretium partis suae, &c.)* Vivo adhuc impubere. Nam post mortem impuberis, existente iam conditione substitutionis, & solidum pretium, & praeterea pupillaris haereditatis aestimationem alteri domino offerat oportet. Quemadmodum autem neque testatore, neque pupillo offerente, vendere partem suam dominus olim cogebatur: ita neque offerente servo.

[3.] Ait Iureconsult. *Erit impuberi necessarius.)* Quia & testator sibi facere necessarium potuit.

[7.] Ait Iureconsult. *Libertatem & haereditatem consequi.)* Mortuo demum pupillo. Sed cuius libertus erit? Et magis est, ut eius libertus sit, a quo libertatem accepit, quamvis pro parte.

[4.] Ait Iureconsult. *Si vero ab impubere.)* Neque enim testatoris servus fuit: cuius utrumque testamentum est.

[5.] Ait Iureconsult. *Ratio aequitatis sug-*

## §. ult.

*Ait VLPIANVS. SI TITIO fuerit legatus servus, poterit impuberi substitui cum libertate, quemadmodum institui potuit legatus: & evanescet legatum existente conditione substitutionis.*

## S V M M A R I V M.

1. Servi hodie sine libertate utiliter instituuntur.
2. Antequam existat substitutionis conditio ser-

*uus pupilli heres fieri nequit, & per consequens nec liber.*

[1.] **G**OVEANVS. Servi proprii sine libertate frustra olim instituebantur, hodie utiliter instituuntur. Et libertatem una cum haereditate accepisse intelliguntur, quemadmodum & quos tutores filiis damus. Quemadmodum autem servos nostros institutos haeredes nobis necessarios faciebamus: ita & filiis nostris impuberibus substitutos, filiis necessarios faciebamus haeredes. *l. sed si plures 10. §. quos possum. 1. supra eod.* Neque solum filiis, verum & nobis. Itaque abstinate filio, servus haereditati meae invitus obligabatur. *l. in tabulis 36.*

*de statulib.* Et is servus, statuliberi iure muniebatur, quamvis libertatem a se caperet: ne in filii potestate esset, patrem facere intestatum. Quod eveniret servo alienato.

[2.] *Ait Iureconsult.* *Evanescet legatum existente conditione.* Ante, quam existat conditio substitutionis, non potest servus pupilli haeres fieri: & per consequens neque liber. Nam libertatem a se capit. Capere autem libertatem a se non potest, nisi haeres existat. Porro autem in proposito momento eodem & legatum evanescit, & libertas competit. Est, cum prius legatum evanescat, quam libertas competat. De quo diximus ad *l. si quis eum 16.*

## XIX. IVLIANVS Libro trigesimo Digestorum:

*IDEM est, & si post mortem legatarii servus sit substitutus.*

## S V M M A R I V M.

1. *L. peculium §. ult. de Leg. II. quomodo cum aliis concilianda?*

[1.] **G**OVEANVS. Servum Titio legatum si cum libertate filio impuberi ita substituas, **POST MORTEM TITII:** Eveniente conditione substitutionis, legatum evanescit, neque mors Titii expectatur, cum certum sit, Titium moriturum. *l. si post mortem 68. §. ult. de legat. 1.* Nam adiectio ita, **POST MORTEM TITII,** conditionem non habet, sed duntaxat mora temporis libertatem suspendit. *l. 1. & l. haeres meus 79. de cond. & demonstr.* **PAVLVS** tamen in *l. peculium 65. §. ultri. de leg. II.* contrarium scribere videtur. *Titio (ait) Stichus legatus post mortem Titii libertatem accepit: Et legatum adita haereditate, & libertas post mortem Titii competit.* Quam pugnam quemadmodum

componant nostri Interpretes, piget referre. Libri in medio sunt. Ego nullam conciliationis rationem dispicio. Affirmare ausim, Iureconsultum scripsisse, **A TITIO:** ut Titium dicamus haeredem institutum. Subiungit namque, **SI TAMEN TITIO HAEREDE EX PARTE INSTITVTO STICHVS LEGATVS SIT, &c.** Post mortem autem haeredis, data Sticho libertate, non solum tempus, verum & conditio libertati inest: quemadmodum, cum haeres iubetur post mortem suam dare, vel restituere. *d. l. 1. & l. haeres meus 79. de cond. & demonstr. l. si pecunia 12. §. quod ita 1. de leg. II.* Post mortem autem legatarii, datum legatum pro puro habetur. *d. l. 1. de cond. & demonstr.*

XX. VLPPIANVS Libro sexto decimo ad Sabinum.

PATRIS, & filii testamentum pro uno habetur, etiam iure Praetorio. Nam (ut MARCELLVS libro octavo Digestorum scribit) sufficit, tabulas patris esse signatas: & si resignatae sunt filii, septem signa patris sufficiunt. Sed & si pater sibi per scripturam, filio per nuncupationem, vel contra, fecerit testamentum, valebit.

S V M M A R I V M.

1. Patris & filii testamentum cur pro uno habeatur? 2. Non tantum iure Civ. sed & Praetorio.

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. Testamentum pro uno habetur.) Quamvis sit duarum haereditatum, seu potius duarum causarum, uti scribit Imperator in *tit. de pupillari subst. lib. II. Instit.* Neque sane unius hominis plura testamenta intelligi possunt.

[2.] Ait Iureconsult. *Etiam iure Praetorio.*) Non solum iure Civili. Praetor signa, Imperator subscriptiones testium, ius Civile testium praesentiam requirit. Et quia unum est testa-

mentum patris & filii, septem testes utriusque testamento sufficiunt, quemadmodum & septem signa sufficiunt. Itaque, si patris tabulae signatae proferantur, impuberis vero resignatae, Praetor bonorum possessionem dabit secundum tabulas impuberis. Sufficit namque, patris tabulas esse signatas. De signis & testium subscriptionibus loquitur Iureconsultus, in *l. ad testium 22. supra de testam.* & Imperator in *l. hac consultiissima 21. C. eod.*

XXI. IDEM Libro quadragesimo primo ad Edictum.

SI ITA quis substituerit, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVM ANNV M DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO: Deinde hic ante quartum decimum annum post decimum decesserit: magis est, ut non possit bonorum possessionem substitutus petere. Non enim videtur in hunc casum substitutus.

S V M M A R I V M.

1. Hereditas neque ex die, neque ad diem dari potest. 2. Vnde haec lex desumpta?

[1.] **G**OVEANVS. Ratio dubitationis, quod neque ex die, neque ad diem haereditas dari possit. *l. haereditas 34. de haeredib. institu. §. haeredis. eod. Titulo. lib. II. Instit.* Decisionis ratio, quia, cum filio impuberi ita substituitur, SI INTRA DECIMVM ANNV M DECESSERIT, non tam ex die, quam sub conditione, & in casum facta intelligitur substitutio. Nam, & si quis ita haeredem instituat, SI POST SEPTVAGINTA ANNOS DECESSERO, recte instituit. *l. potest 65. de haered. instit.*

[2.] Ait Iureconsult. *Vt non possit bonorum possessionem substitutus petere.*) Et per consequens neque ad haereditatem admitti. Praetor

enim, quamvis bonorum possessionem interdum iis det, qui ad haereditatem non admittuntur, ut cognatis, ut emancipatis, ut posthumis alienis institutis. *l. posthumus 6. de inoffic. testamen.* Bonorum tamen possessionem nunquam denegat iis, qui ad haereditatem vocantur. Quid ergo de possessione dixit Iureconsultus, cum idem in haereditate iuris sit? Et Pandectae Florentinorum testantur, legem hanc ex libro quadragesimo primo VLPPIANI ad Edictum desumptam. In quo scribere VLPPIANVM de bonorum possessionibus constat ex *l. 1. de leg. praest.* & legibus compluribus de *bonor. poss. contra tab.* ex hoc eodem libro excerptis.

## XXII. CAIVS Libro quinto decimo ad Edictum provinciale.

*Is, qui contra tabulas testamenti patris, bonorum possessionem petierit, si fratri impuberi substitutus sit, repellitur a substitutione.*

## S V M M A R I V M.

## 1. Quae ratio dubitationis in b. l.?

[1.] **G**OVEANVS. Filius, qui bonorum possessionem patris contra tabulas petit, repellitur a Praetore ab impuberis successione. *l. filium 5. §. omnibus 2. & §. non solum 4. de leg. praest.* Quod si fratris haereditatem adiverit ex substitutione, haereditas ei aufertur, & fisco applicatur. *l. 2. de iis, quib. ut indign.* Sane, qui ex substitutione pupillari fratri haeres extitit, inofficiosum patris testamentum dicere

non potest, cuius iam iudicium agnovit. *l. post legatum acceptum 5. de iis, quib. ut ind. l. si pars 10. §. ult. l. ult. de inoffic. testam. l. parentibus 8. Cod. eod. l. Polla. 2. C. de codic.* Ratio dubitationis in lege hac, quia duae sunt haereditates. Ratio vero decisionis, quia expugnato paterno testamento, evanescent tabulae pupillares: neque ex eo testamento consequi quicquam mereatur, qui expugnare id conatus est: & quantum in ipso fuit, intestatum fecit patremfamilias.

## XXIII. PAPINIANVS Libro sexto Responsorum.

*Qui plures haeredes instituit, ita scripsit, EOSQUE INVICEM SVBSTITVO: post aditam a quibusdam ex iis haereditatem, uno eorum defuncto, si conditio substitutionis extitit, alio haerede partem suam repudiante, ad superstites tota portio pertinebit: quoniam invicem in omnem casum singuli substituti videbuntur. Vbi enim quis haeredes instituit, & ita scribit, EOSQUE INVICEM SVBSTITVO: ii substituti videbuntur, qui haeredes extiterunt.*

## S V M M A R I V M.

1. In substitutione verbo communi facta eadem locum habent, quae in substitutione, quae fit his verbis, QVISQVIS MIHI HERES ERIT.

[1.] **G**OVEANVS. Quae de substitutione his verbis facta, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, dicta a nobis sunt ad *l. sed si plures. 10.* eadem dici oportet de substitutione verbo communi facta, EOSQUE INVICEM SVBSTITVO.

## XXIV. VLPIANVS Libro quarto Disputationum.

*SI PLVRES sint instituti ex diversis partibus, & omnes invicem substituti, plerumque credendum est, ex iisdem partibus substitutos, ex quibus instituti sunt. ut si forte unus ex uncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante sit institutus: repudiante tertio, in novem partes dividatur quadrans: feratque octo partes, qui ex besse fuerat institutus: unam partem, qui ex uncia. Nisi alia forte mens fuerit testatoris, quod vix credendum est, nisi evidenter fuerit expressum.*

## S V M M A R I V M.

## 1. Quae dubitationis ratio in b. l.?

[1.] **G**OVEANVS. Ratio dubitationis, Quia in substitutionibus, quae verbo communi fiunt, par omnium conditio esse debeat, arg. *l. iam hoc iure 4. supra eodem.*

## 2. Cur quadrans b. l. in 9. asses dividitur?

[2.] Ait Iureconsult. *In novem partes dividatur quadrans.* Quadrans non in duodecim partes, sed in novem dividitur, quot scilicet inter eos distributae erant, quibus quadrans accrescit.



crescit. Et sane si in duodecim divideretur, tres unciae redundarent.

Ait Iureconsult. *Quod vix credendum est.*)

Nam interdum creditur, ut in *l. utrum. 7. de reb. dub.* & in *l. nonnunquam 24. & l. quoties 23. ad Treb.*

XXV. IVLIANVS Libro vicefimo quarto Digestorum.

SI PATER Impuberes filios invicem substituerit, & ei, qui novissimus mortuus fuerit, Titium: respondendum est, solos fratres bonorum possessionem accepturos, & quodammodo duos gradus huius institutionis factos: ut primo fratres invicem substituerentur: Si illi non essent, tum Titius vocaretur.

S V M M A R I V M.

1. IVLIANI sententia h. l. proposita, qua contendit, solos fratres ad bonorum possessionem esse admittendos, explicatur.

[1.] **PROVEANVS.** Pater impuberes filios, haeredes institutos, substituit & ei, qui novissimus intra pubertatem decederet, Titium substituit. Primus, reliquis fratribus iam puberibus, ipse impubes decessit, atque ita intra pubertatem novissimus decessit. Nam & novissimus dicitur is decessisse, post quem nemo decessit, non solum, qui post alios decessit. *l. qui duos 9. de reb. dub.* Quemadmodum & proximus interdum dicitur, qui solus est. *d. l. qui duos. & l. 2. de suis & legitim. haeredib. l. proximus 92. & l. proximi 155. de verbor. signific.* Itaque & fratres invicem substituti, & Titius no-

vissimo substitutus; ad novissimi haereditatem admitti postulabant. IVLIANVS tamen, solos fratres, non etiam Titium, ad bonorum possessionem fratris defuncti admittendos respondit. Titium enim ita demum videri substitutum, si fratres non essent. Et huius institutionis, hoc est, substitutionis (nam ita quoque accipitur in *l. pater filio 2. de haered. instit.*) duos quodammodo gradus esse factos, ut primo gradu fratres, secundo, si ii non sint, Titius videatur substitutus. Notat ACCVRSIVS, in quibusdam libris legi, INVICEM INSTITVERIT, non autem SVBSTITVERIT: sed mihi lectio vulgaris placet.

XXVI. IDEM Libro vicefimo nono Digestorum.

SI PATER filium impuberem haeredem scripserit, & ei substituerit, si quis sibi post mortem natus fuerit: deinde vivo fratre posthumus natus erit: testamentum rumpetur. Post mortem autem fratris vivo patre natus, solus haeres patri suo existet.

S V M M A R I V M.

1. Postumus, substitutus filio impuberi, si nascatur fratre mortuo, quaerendum est, utrum post, an vero ante patrem filius decesserit?

[1.] **PROVEANVS.** Posthumus praeteritus agnascendo rumpit testamentum. Si quis igitur filio impuberi fratrem posthumum substituerit, & is vivo fratre nascatur, testamentum rumpit. Nam posthumus in primo gradu praeteritus reperitur. Neque dici potest testamentum in secundo gradu consistere, in quo filius superstes praeteritus est. Quae praeteritio iniustum facit testamentum. Si autem fratre

mortuo posthumus nascatur, quaerendum est, post patremne, an ante patrem decesserit? Nam si post patrem filius decessit, adhuc testamentum rumpi dicemus, propterea quod in primo gradu posthumus praeteritus reperitur. Quod si ante patrem filius decessit, natus posthumus non rumpit testamentum. Nam institutione fratris facta quasi caduca, substitutio posthumi ad intellectum institutionis revocatur. Atque ita primo gradu posthumus reperitur institutus: neque rumpit te-

stamentum. Itaque in textu post, VIVO PATRE NATVS, ponenda virgula est: ut vivo adhuc patre fratrem mortuum intelligamus. Factis autem institutionibus quasi caducis, in primum gradum evadere substitutos, manifeste intelligimus ex *l. cum ex filio* 39. §. *quidam* 2. in-

*fra eod.* Posthumum porro proprie accipere debemus eum, qui post mortem nascitur. Existere autem (quo verbo utitur Iureconsultus in extrema hac lege) proprium verbum est eorum, qui sine ullo facto, mortuis parentibus, statim haeredes fiunt.

XXVII. IDEM Libro trigesimo Digestorum.

SI TITIVS *cohaeredi suo substitutus fuerit, deinde ei Sempronius: verius puto in utramque partem Sempronium substitutum esse.*

S V M M A R I V M.

1. Conferenda est haec lex cum *l. 41. h. t. ex eaque supplenda.*

[1.] GOVEANVS. Idem hoc scribit Iureconsult. in *l. cohaeredi* 41. *infra eod.* quo in loco illud addit, non interesse praecedatne secunda substitutio, an sequatur primam. Item non referre, priorne substitutus post insti-

tutum, an ante decedat? Qui enim cohaeredi substituto substituitur, & ei, cui is substitutus est, recta intelligitur substitutus. Quod verene dicatur in pupillari substitutione, quaeremus ad *l. cohaeredi.*

XXVIII. IDEM Libro sexagesimo secundo Digestorum.

LEX Cornelia, quae testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserunt, confirmat: non solum ad haereditatem ipsorum, qui testamenta fecerunt, pertinet: sed ad omnes haereditates, quae ad quemque ex eorum testamento pertinere potuissent, si in hostium potestatem non pervenissent. Quapropter, cum pater in hostium potestate decessit, filio impubere relicto in civitate, & is intra tempus pubertatis decesserit, haereditas ad substitutum pertinet, perinde ac si pater in hostium potestatem non pervenisset. Sed si pater in potestate decessit, filius impubes apud hostes: si quidem mortuo patre filius in hostium potestatem pervenerit, non existimo legi Corneliae locum esse: quia non efficitur per eam, ut is, qui nulla bona in civitate reliquit, haeredes habeat. Quare etiam si pubes filius vivo patre captus fuerit, deinde mortuo in civitate patre, in hostium potestate decesserit, patris haereditas ex lege XII. tabularum, non filii ex lege Cornelia, ad agnatum proximum pertinet.

XXIX. SCAEVOLA Libro quinto decimo Quaestionum.

SI PATER captus sit ab hostibus, mox filius, & ibi ambo decedant: quamvis pater prior decedat, lex Cornelia ad pupilli substitutionem non pertinebit, nisi reversus in civitate impubes decedat. Quoniam & si ambo in civitate decessissent, veniret substitutus.

S V M M A R I V M.

1. Quomodo Lex Cornelia ex testamento constituat captivi hereditatem?
2. Lex Cornelia proprie ad principalia testamenta spectat; tabulae tamen pupillares ex ea quoque per consequens confirmantur.

3. Explicatur *l. ii. de postl. revers.*
4. Vinculis artioribus tenentur testamentariae, quam legitimae hereditates.
5. Ad testamenta eorum, qui in civitate decedunt, L. Cornelia non pertinet.

[1.] **C**OVEANVS. *Legē Cornelia* captivi haereditas constituitur, non solum ex testamento, verum & ab intestato. *l. bona 22. de captiv. & postlim. revers.* & *l. pater 10. §. uli. eod. tit. & l. si pater 15. de suis & legitim. haered.* Nam & novis legibus haereditates deferri, scribit Iureconsultus in *l. 3. unde legit. Novae* autem *leges* appellantur, quae post leges duodecim Tabularum latae sunt. Ita appellantur in *l. 1. de condit. ex lege.* Ex testamento autem ita constituitur captivi haereditas *lege Cornelia*, non ut in captivitate factum testamentum valeat, sed quod quis ante captivitatem fecerit, quod & ipsum non valeret propter captivitatis diminutionem, nisi *lex Cornelia* prima hora captivitatis decessisset captivum fingeret. Quae fictio non multum abest a veritate, cum de civitate per captivitatem caput eximatur, & morti captivitas comparetur. *l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5.*

[2.] *Lex* igitur *Cornelia*, quae eorum, qui apud hostes decesserunt, testamenta confirmat, ad principalia testamenta proprie pertinet. Quibus tamen confirmatis, necesse est, tabulas quoque confirmari pupillares. Pertinere autem ad principalia testamenta *legem Corneliam*, ex eo intelligi potest, quod in ea eius persona demonstratur, qui testamentum facere potest. *d. l. pater. §. ultimo. de capt. & postlim. revers.* Impuberem autem constat testamenti factionem non habere. Tabulae igitur pupillares *lege Cornelia* per quandam consequentiam confirmantur, hoc est, primis tabulis confirmatis. Itaque si pater apud hostes decedat, & filius in civitate impubes post patrem, valebit pupillaris substitutio ex *lege Cornelia*, quae paternum testamentum confirmat.

[3.] Sane si filius apud hostes decedat, sive ante patrem, sive post patrem: *lex Cornelia* ad secundas tabulas non pertinet. Quia filius in ea causa non est, ut haereditatem habere possit. Reverso autem filio ab hostibus, & in civitate decedente intra pubertatem, *lege Cornelia* secundae tabulae confirmantur. Nam si pater & filius in civitate decessissent, substitutus admitteretur. Nunc autem filius reversus ab hostibus, re vera in civitate decedit, ubi & pater per *legem Corneliam* fingitur decessisse. Et haec sententia est *l. si pater captus. 15. de suis & leg. haer. & l. quod si filius 11. in secunda par. de capt. & postl.*

*revers.* Quod si filius in civitate decedat, vivente adhuc patre apud hostes, nihil est, quod de tabulis secundis quaeramus: certum enim est, irritas factas esse. Neque enim reverso patre, intelligi potest filius decessisse paterfamilias. Mortuo autem postea patre apud hostes, verum est, vivo patre filium de eius potestate exivisse. Quod cum accidit, irrita fit pupillaris substitutio. *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod.* Et haec est sententia *d. l. quod si filius. in prima par.* Sane filius hic in civitate decedens, vivente adhuc apud hostes patre, si postea pater apud hostes decedat, legitimum haereditatem habere poterit. *l. si pater cit. de suis & legit. haered.* Quamvis quo tempore decessit, nondum plane esset liberatus patria potestate, quae adhuc pendeat propter ius postliminii.

[4.] Ex quo intelligi potest, arctioribus vinculis, & iure strictiore teneri testamentarias, quam legitimas haereditates. Cui rei & illud argumento fuerit, quod posthumum alienum haereditatem ex testamento habere non possum, legitimum autem possum. *l. a fratris posthumo 127. de lega. 1.* Quod si pater in civitate decessit, & filius impubes apud hostes: manifestum est, ad secundas tabulas non pertinere *legem Corneliam*: quae, uti iam diximus, personam eius demonstrat, qui testamentum facere potest. Neque tabulas pupillares confirmare intelligitur, nisi cum principales confirmat.

[5.] Ad testamenta autem eorum, qui in civitate decedunt, certum est, non pertinere *legem Corneliam*: quibus sufficit *lex XII. tabularum*. Quia tamen impubes iam paterfamilias ab hostibus captus est, ubi etiam decessit, legitimam eius haereditatem deserat *lex Cornelia. d. l. pater. §. ult.* Cum igitur *lex Cornelia* impuberis huius haereditatem deserat, non alienum erit, Praetorem respicientem & ad legis, & ad testatoris voluntatem, substitutis dare utiles actiones in haereditatem *d. l. pater. §. ult.* Et hoc nimirum est, quod hoc loco ait IULIANVS, NON INCOMMUNE DICITVR HAEREDITATEM, &c. Si vero, vivo patre in civitate, filius ab hostibus capiatur, ibique decedat: certum est, *lege Cornelia* substitutos non adjuvari: propterea quod verum sit, nulla bona impuberem in civitate reliquisset. Qui autem bona non relinquit, haereditatem habere non potest. Ex quo intelligimus, decedente impubere filio ante patrem expirare pupillares substitutiones. Etsi BARTOLVS contra sentit.

## XXX. IULIANVS Libro septuagesimo octavo Digestorum.

QVIDAM testamento Proculum ex parte quarta, & Quietum ex parte dimidia & quarta haeredem instituit. Deinde Quietum Florum, Procule Sossiam haeredem substituit: Deinde si neque Florus, neque Sossia haeredes essent, tertio gradu ex parte dimidia & quarta Coloniam Leptitanorum: & ex quarta complures haeredes substituit in plures, quam in tres uncias. Quietus haereditatem adiit. Proculus & Sossia vivi testatore decesserunt. Quaeritur, quadrans Procule datus, ad Quietum, an ad substitutos tertio gradu pertineat? Respondi, eam videri voluntatem patrisfamilias fuisse: ut in tertio gradu scriptos haeredes ita demum substitueret, si tota haereditas vacasset. Idque apparere evidenter ex eo, quod plures, quam duodecim uncias inter eos distribuisset: Et idcirco partem quartam haereditatis, de qua quaeritur, ad Quietum pertinere.

## S V M M A R I V M.

1. An municipia & civitates heredes institui possint?
2. Leptis civitas libera Africae.
3. Distributio unciarum in h. l. quomodo intelli-

genda.

4. Quae ratio dubitationis in h. l.?
5. Ratio divisionis in h. l. ex voluntate apparet testatoris.



OVEANVS. Factis institutionibus quasi caducis, substitutiones in primum locum revocantur. l. cum ex filio 39. §. quidam. 2. infra eod. nisi testatoris voluntas obstat.

[1.] Ait Iureconsult. Coloniam Leptitanorum.) VLPIANVS in Institutionibus scribit, Municipia & civitates haeredes institui non posse: propterea quod neque haereditatem cerne- re, neque gerere pro haerede possint. Et PLINIVS lib. v. Epistol. scribit, Rempub. neque haeredem institui posse, neque praecipere posse, hoc est, praecceptionis legatum accipere: quo modo solis haeredibus institutis legatur. Idem tamen VLPIANVS in l. recusare 6. ad Trebel. scribit. Municipales haeredes institutos, item & collegia, si suspectam dicant haereditatem, posse cogi adire & restituere. facit. l. 1. §. si autem 15. eod. tit. l. 3. C. eo. l. haereditatis 12. & l. Collegium 8. C. de haered. instituen. Municipiis & civitatibus & collegiis legata relinqui posse, constat. l. si haeres 73. §. vicis 1. & in l. si civitatibus 122. de leg. 1. l. cum Senatus 20. de reb. dub. Universitates a libertis suis recte instituuntur. l. 1. de libert. universit.

[2.] Leptis autem Magna in Africa est: cuius meminit Iureconsultus in l. ult. de censib. Temporibus Iulii Caesaris civitas libera erat, uti scribit HIRCIVS de bello Africo. SPARTIANVS in Severo in princ. Severus Africa oriundus Imperium tenuit. Cui civitas Leptis, pater Geta, maiores equites Romani, ante civitatem omnibus datam. SALLVSTIVS in Iugurthino a Sidoniis conditam scribit inter duas Sirtes.

[3.] Ait Iureconsult. In plures, quam tres, uncias. Haec divisio quemadmodum fieri debeat, docet Iureconsultus in l. interdum 13. §. ult. de haered. instit. Quod si testator tres haeredes instituat, unum ex semisse, alterum ex triente, tertium ex quadrante: factis unciis tredecim, sex primo dabimus, secundo quatuor, tertio tres. Quamvis enim neque primus semissem, neque secundus trientem, neque tertius quadrantem habeat: tamen proportio id facit, ut, quemadmodum primus semissem, ita secundus quadrantem, tertius trientem habeat, tredecim unciarum. Et huius divisionis, quantum memoria suppetit, credo Iureconsultos non meminisse.

[4.] Ait Iureconsult. Proculus & Sossia vivo testatore decesserunt.) Haec ratio dubitationis est, factis enim quasi caducis & Procule institutione, & Sossiae substitutione tertio gradu substituti, primum locum nacti una cum Quietum ad Procule portionem admittendi videbantur.

Ait Iureconsult. Eam videri voluntatem patrisfamilias.) Haec ratio decisionis est.

[5.] Ait Iureconsult. Idque apparere evidenter ex eo.) Voluntas testatoris ex eo apparet, quod in tertio gradu plures unciae divisae sunt. Quae divisio, adveniente Quietum, ex semisse & triente haerede instituto, locum habere non potest. Ex quo intelligimus, tertio gradu substitutos tum demum testatorem vocasse, cum tota haereditas vacasset. Neque enim intelligitur testator quicquam de portione Quietum diminutum voluisse. Alia ratio est divisionis in l. Iulianus 15. de haeredi. instit.

## XXXI. IDEM Libro singulari de Ambiguitatibus.

*In substitutione filii ita facta, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPPTIS HAERES ERIT, IDEM FILIO MEO HAERES ESTO: Quaeritur, quisquis haeres quandocumque fuerit intelligatur, an quisquis tunc haeres erit, cum filius morietur? Placuit Prudentibus, si quandocumque haeres fuisset. Quamvis enim vivo pupillo haeres esse desisset, (forte ex causa de inofficioso, quae pro parte mota est) futurum tamen eum haeredem ex substitutione creditum est. Non simili modo in hac specie dicendum est: Si quis, cum duos filios haberet, Caium puberem, Lucium impuberem, ita filio substituisset, SI LVCIVS FILIVS MEVS IMPVBES DECESSERIT, NEQVE MIHI CAIVS FILIVS MEVS HAERES ERIT, TVNC SEIVS HAERES ESTO. Nam Prudentes hoc interpretati sunt, ut ad impuberis mortem conditio substitutionis esset referenda.*

## S V M M A R I V M.

1. Conditione semel impleta, substitutus non repellitur.
2. L. 7. §. 10. de minor. quomodo accipienda?

3. Testamento in totum expugnato, evanescent tabulae pupillares.

[1.] **G**OVEANVS. Facta impuberi substitutione per verba haec, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT: is etiam admittitur, qui cedente die haereditatis pupillaris, haeres non reperitur. Sufficit enim, aliquando haeredem extitisse, & si postea haeres esse desierit. Nam verba haec, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, conditionem in se continent. l. qui liberis 8. supra eod. Qua semel impleta, placuit Prudentibus, non repelli substitutum. Quam sententiam adiuvat favor pupilli, secundum quem respondet Iureconsultus in l. Pupillus 9. de acquir. haered. Ratio dubitationis, uti iam dixi, illa est: quod cedente die pupillaris haereditatis haeres non reperitur, cui, mota pro parte querela inofficiosi testamenti, haereditas evicta est.

[2.] Ait Iureconsult. *Haeres esse desisset.*) Non potest autem haeres esse desinere, nisi qui haeres aliquando fuit. l. non potest 208. de regu. iur. Nam quod ait Iureconsultus in l. ait Praetor 7. §. sed quod Papinianus 10. de minorib. eum,

qui semel haeres extitit, semper haeredem manere, sic accipiendum est, ut Praetor efficere non possit, quin haeres maneat. Nam neque datio, neque ademptio haereditatis ad Praetoris imperium pertinet, uti scribit Imperator in tit. de honor. possess. lib. III. Instit. Querela autem inofficiosi testamenti iuris civilis est, & per eam expugnato testamento, haeres fit is, qui obtinuit: & quidem ipso iure. Nam sententia hoc casu ius facit. l. Papinianus 8. §. ult. de inoffic. testam. Cum ergo is ipso iure haeres fiat, secundum quem pronuntiatum est, necesse est, haeres is esse desinat ipso iure, qui succubuit.

Ait Iureconsult. *Si quandoque haeres fuisset.*) Modo die cedente haereditatis pupillaris superstes sit. l. qui plures 23. supra eod.

[3.] Ait Iureconsult. *Quae pro parte mota est.*) Nam in totum expugnato testamento, evanescent tabulae pupillares. l. Papinianus 8. §. sed nec 5. de inoffic. testam. Pro parte autem expugnato, pars, quae in testamento relinquatur, sustinet tabulas pupillares. Neque enim verum est, in totum patrefamilias intestatum decessisse.

## XXXII. IDEM Libro primo ad Vrseium Ferocem.

*Qui complures haeredes ex disparibus partibus instituerat, & in his Attium: si Attius non adierit, caeteros ex eisdem partibus, quibus instituit, haeredes ei substituerat: Deinde si Attius non adisset, Titium cohaeredem iis, qui substituti sunt, adiecit. Quaesitum est, quam partem is, & quam caeteri habituri essent? Respondi, Titium virilem, caeteros haereditarias partes. Veluti, si tres fuissent, Titium quartam partem Attianae partis habiturum: reliquarum partium haere-*

haereditarias partes, ex quibus instituti erant, reliquos habituros esse. Quod si non solum Titium, sed etiam alios adiecisset haeredes, hos quidem viriles partes habituros: veluti, si tres puta cohaeredes fuissent substituti, extranei duo adiecti: hos quintas partes Attianae partis, reliquos autem cohaeredes haereditarias partes habituros esse, dixi.

## S V M M A R I V M.

1. Haec lex quomodo cum lege 9. h. t. concilianda?

[1.] GOVEANVS. Ait Iureconsult. Titium virilem, caeteros haereditarias partes.) Si testator iis verbis substituisset, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, ET TITIVS: Titius semissem, reliqui omnes semissem auferent. l. si pater filio 9. hoc tit. ita enim leges hae duae conciliandae sunt.

## XXXIII. AFRICANVS Libro secundo Quaestionum.

SI MATER ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuordecim, haeredem instituat, eique in pupillaribus tabulis, si sibi haeres non erit, alium substituat: valet substitutio.

## S V M M A R I V M.

1. Conditio institutionis si in substitutione non fuit repetita, pure substituitur.

[1.] GOVEANVS. Si sub conditione instituas, neque conditionem repetas in substitutione, pure substituis. l. sub conditione 73. de haered. instit. Quare si mater filium instituat hac conditione, CVM ERIT ANNORVM QVATVORDECIM: & ei simpliciter hoc modo substituat, SI FILIVS HAERES NON ERIT: decedente filio ante quartum decimum annum admittitur substitutus. Conditionem autem iis verbis continet. l. si cui 49. §. hoc legatum 2. de leg. 1. in l. si Titio 22. quan. di. leg. ced. & in l. si quis legata 54. de condi. & demonstr. de quo diximus ad l. si quis ita. 21. supra eod. Nam in l. Firmio 26. quan. di. leg. ced. & in l. ex iis 5. C. eod. solutio & praestatio duntaxat legati, in tempus differtur. Neque ideo conditionale censeferi debet. Pupillares autem tabulas accipere debemus, in quibus pupillo separatim mater vulgari modo substituit. Matrem enim constat filio impuberi pupillariter non posse substituere.

## §. fin.

Ait AFRICANVS. SI FILIVS & ex eo nepos posthumus haeredes instituantur, ut GALLO AQVILIO placuit: & nepoti, si is haeres non erit, Titius substituat: filio haerede existente, Titium omnimodo, id est, etiam si nepos natus non fuerit, excludi respondit.

## S V M M A R I V M.

1. Ratio dubitandi in hac lege est, quod & nepos institui dicitur.

[1.] GOVEANVS. GALLVS AQVILIVS formulam protulit, ex qua nepotes posthumi, hoc est, qui post mortem avi nascerentur, institui possent. Si quis igitur ex GALLI consilio ita scribat, FILIVS MIHI HAERES ESTO: SI FILIVS ME VIVO DECEDET, TVM QVI EX EO MIHI NEPOS NASCETVR POST MORTEM MEAM, HAERES ESTO: SI IS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO: Si quis, inquam, ita scribat, & filium, & nepotem instituit, ita tamen, ut simul admitti

mitti non possint pater & filius. Et hoc nimirum est, quod scribit Iureconsultus in *l. cum in testamento 37. de haered. inst.* huius institutionis duos gradus esse. Non quod nepos substitutus sit, sed quod cum patre, uti diximus, admitti non possit ad avi successionem. Vnde fit, ut quamvis nepos institutus sit, tamen eo non nato, Seius nepoti substitutus una cum filio testatoris non admittatur, quemadmodum admitteretur,

si una cum filio extraneum testator instituisset, & extraneo Titium substituisset: Extraneo namque non adeunte, una cum filio Titius admitteretur. Ratio igitur dubitandi est, quod & nepos *institui* dicitur. Ratio decidendi, quod institutionis huius duo sunt gradus: neque accedere potest, ut filius & nepos una haereditatem obtineant: neque per consequens filius & nepoti substitutus.

XXXIV. IDEM Libro quarto Quaestionum.

*Ex duobus impuberibus ei, qui supremus moreretur, haeredem substituit. Si simul morerentur, utrique haeredem esse respondit: quia supremus, non is demum, qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit, intelligitur. Sicut & e contrario proximus non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is, ante quem nemo sit, intelligitur.*

S V M M A R I V M.

1. *Convenientia huius legis cum l. 42. § 37. h. t. & l. 9. de reb. dub.*

[1.] **Q**UOUEANVS. Legis huius eadem propemodum species est, quae & *l. qui duos 42. & l. vel singulis 37. infra eod. & l. qui duos 9. de reb. dub.* Substitutum ei, qui novissimus impubes decedet, pueris simul decedentibus, ad utriusque haereditatem admitti, quasi utroque novissimo decedente. Et vero, cum post alterum neuter decesserit, novissimus uterque recte dicitur decessisse. Sicut e contrario, *Proximus* is dicitur in *lege XII. Tab.* non solum

is, qui ante aliquem est: sed etiam is, ante quem nemo est. *d. l. qui duos. de reb. dub.* Sane si pater, qui filios duos habebat, eum, qui novissimus decederet, rogaverit partem dimidiam haereditatis propinquo restituere, & pueri simul decedant, fideicommissum peti non potest. *l. si eius, qui. 34. ad Treb.* Ratio illa est, quia fideicommissa onera sunt eorum, a quibus relinquuntur: neque ab aliis peti possunt. Quare, si unde petenda sunt, non appareat, peti nullo modo possunt.

§. I.

*Ait Iureconsult. Filium impuberem & Titium haeredes instituit. Titio Maevium substituit. Filio quisquis sibi haeres esset ex supra scriptis, substituit. Titius omisit haereditatem. Maevius adiit. Mortuo deinde filio, putat magis ei soli ex substitutione deferri pupilli haereditatem, qui patris quoque haereditatem adierat.*

S V M M A R I V M.

1. *Conciliatur haec lex cum l. 10. §. 2. h. t.*

[1.] **Q**UOUEANVS. Cohaes filio impuberi substitutus nominatim, siquidem substitutum habeat, patris haereditatem recusare potest, & filii obtinere ex substitutione. Quod illi non liceret, si substitutum non haberet. *l. sed si plures 10. §. 2. supra eod.* Sic enim loci ii conciliandi sunt. Sane si Titius cohaeres impuberi substituatur per verba haec, **QVISQVIS MIHI HAERES ERIT**, repudiata haereditate patris

filii haereditatem obtinere nullo modo potest: ne si quidem habeat substitutum. Nam verba haec. **QVISQVIS MIHI HAERES ERIT**, conditionem in se continent. *l. qui liberis 8. supra eod.* Itaque si Titio sit Maevius substitutus, & repudiante Titio, ex substitutione adierit Maevius: decedente postea impubere, solus Maevius ad eius haereditatem admittetur. Quia verum sit, unum Maevium testatori haeredem extitisse.

## §. ult.

Ait Iureconsult. *Etiam si contra tabulas patris bonorum possessio petita sit: substitutio tamen pupillaris valet, & legata omnibus praestanda sunt, quae a substituto data sunt.*

## S V M M A R I V M.

1. *Expugnato testamento per bonor. possess. contr. tab. tabulae nihilo minus secundae firmae manent, & legata a substitutis relicta praestari debent.*

[1.]



OVEANVS. Expugnato testamento per bonorum possessionem contra tabulas, firmae nihilo minus manent secundae tabulae: cum per bonorum possessionem contra tabulas ipso iure non rescindatur testamentum. Quare legata, relicta a substitutis, praestabuntur. Quae eo prima ratione videntur praestari non debere, quia accepta bonorum possessione contra tabulas, quic-

quid id est, quod ad impuberem pervenit, Praetoris beneficio, non testatoris voluntate, videtur pervenire. Ratio autem decidendi in contrarium illa est, quod commissio per praeteritum edicto, quamvis institutus beneficio Praetoris utatur, tamen a testatore capere intelligitur id, quod capit, a quo haeres erat institutus. Itaque substitutus legata praestabit, etiam extraneis personis. *l. filium. 5. de leg. praestan.*

## XXXV. IDEM Libro quinto Quaestionum.

*Et si contra tabulas patris petita sit a pupillo bonorum possessio, in substitutum tamen eius actionem legati dandam esse, ita ut augeantur legata, propterea quod filius extraneis non debuerit. Sed & crescere a substituto data legata, si per bonorum possessionem, plus ad filium pervenisset. Quemadmodum & ipse filius plus exceptis deberet. His consequens esse existimat, ut si impubes ex asse scriptus sit, & per bonorum possessionem semis ei ablatus sit substitutus in partem, legati nomine exoneretur: ut, quemadmodum portio, quae per bonorum possessionem accrescit, auget legata, ita & hic, quae abscessit, minuat.*

## S V M M A R I V M.

1. *Quae superiori legi hic opponitur dubitatio removetur.*  
 2. *Ita in substitutum actio legati datur, ut relicta ab eo legata augeantur, si hereditas ad eum plenior pervenerit.*  
 3. *Pariter deminuta hereditate deminuuntur legata.*  
 4. *Ad ea legata h. l. spectat, quae a substituto*

*sunt relicta.*

5. *Substitutus, qui quasi filius patri heres existisset, ad substitutionem admittitur ex parte, qua filius est institutus, omnibus legata praestat.*  
 6. *Legata ab impubere relicta in vulg. tantum substitutione a substituto repetita censentur, & a quovis pueri successore.*

[1.]



OVEANVS. Qui filios duos habebat, altero praeterito, impuberem in potestate retentum, haeredem instituit: commissio per praeteritum edicto, bonorum possessionem contra tab. admisit institutus impubes: Quaeritur, num tabularum secundarum legata a substituto de-

beantur, & num ampliora debeantur, quam deberentur, si contra tabulas possessio petita non esset? Et deberi scribit Iureconsultus *l. proxima superiore*. Neque movet quod rescissae primae tabulae sint, in quibus relicta intelliguntur legata secundarum tabularum. *l. in ratione 5. §. quod vulgo ad leg. Falcid.* uti namque ad legem superiorem proximam scripsimus, neque ipso iure primae tabulae per bonorum possessionem contra



contra tabulas rescinduntur, & tum demum relicta in primis tabulis intelliguntur legata secundarum, cum de *lege Falcidia* quaeritur.

[2.] Danda igitur in substitutum est actio legati, & quidem ita, ut ab eo relicta legata augeantur: propterea quod impubes, qui bonorum possessionem contra tabulas acceperat, extraneis personis legata non praestiterit. *l. 1. de leg. praest.* Itaque plenior ad substitutum haereditas pervenerit. Augentur item legata secundarum tabularum, portione instituti aucta per bonorum possessionem contra tabulas. Nam si filius ex uncia institutus, commissio per fratrem praeteritum edicto, ad semissem perveniat: inde substitutus legata a se relicta praestabit, retenta fescuncia, quae quarta pars semissis est. *l. Filium 5. de leg. praest.* Nam accessio ista de bonis fit testatoris. Quod si portionem suam aliunde auxisset pupillus, non prodesset id augmentum legatariis substituti. *l. in ratione 11. §. quod vulgo 5. cit.* Quin & ipse institutus, aucta sua portione per bonorum possessionem contra tabulas, coniunctis personis, quibus solis praestat, plus praestat. Neque tam ad id respicimus, quod Praetoris beneficio accessio ista fit, quam quod ex bonis testatoris fit.

[3.] Quemadmodum aucta portione instituti per bonorum possessionem contra tabulas, augentur legata relicta a substituto: ita & diminuta diminuuntur. Exempli causa: Ex do-drante impubes erat institutus: Ei frater praeteritus, accepta bonorum possessione contra tabulas, uncias tres ademit: substitutus legata praestabit ex semisse. Quoniam semis duntaxat ad eum pervenit. Sane si pupillus portionem suam imminuat, ea res legatariis substituti non nocet. *d. §. quod vulgo.* Ut ecce Impubes ex semisse institutus haereditatem imminuit usque ad fescunciam, si a substituto fescuncia legata sit, sine ulla diminutione & retentione substitutus legata solvet.

[4.] Lex igitur haec ad ea legata pertinet, quae ab ipso substituto relicta sunt: quae & deberi respondit *AFRICANVS*, & quemadmodum debeantur exponit. in *l. vero. ult. §. ult. de leg. III.* exponere mihi videtur Iureconsultus, quemadmodum legata relicta ab impubere instituto praestentur a substituto, accepta bonorum pos-

sessione contra tabulas, commissio per fratrem instituti impuberis edicto. Et ait Iureconsultus, substitutum *omnibus*, hoc est, & *extraneis* & *coniunctis* personis legata praestitutum ex ea parte, ex qua filius institutus est. Ex ea vero, quae accedit per bonorum possessionem contra tabulas coniunctis duntaxat personis. Quod illam rationem habet, quia substitutus ad pupillarem substitutionem admittitur, quasi filius haeres patri extiterit: Etenim illam substitutio pupillaris habet conditionem, *SI FILIVS HAERES ERIT*: ut necesse sit, filium intelligi patri haeredem extitisse, qui institutus bonorum possessionem contra tabulas accepit. Si autem filius patri haeres extitisset ex uncia, pro ea parte legata debuisset.

[5.] Quare substitutus, qui sic ad substitutionem admittitur, quasi filius haeres patri extiterit, omnibus, hoc est, extraneis & coniunctis, legata praestabit ex ea parte, ex qua filius est institutus. Si quid vero beneficio Praetoris accesserit, ex eo coniunctis personis tantum legata praestabit substitutus, quibus duntaxat Praetor consulit per Edictum *de legatis praestandis*. Aliter igitur, hoc casu, legata relicta ab instituto praestabit substitutus, quam ipse institutus praestitisset. Neque mirum videri debet, quod liberis ipsis tribuitur, eorum substitutis non tribui.

[6.] Quod autem *ACCURSIVS* ad *d. §. ult.* scribit, legata ab impubere relicta, censeri repetita a substituto, in vulgari tantum substitutione vere dicitur. Nam relicta ab impubere legata, si is haeres extiterit, quasi aes alienum debentur a substituto. *d. §. quod vulgo.* Neque solum a substituto, verum & a quovis pueri successore, ut nihil sit necesse, intelligi repetita a substituto. Quo fit, ut diminuta haereditate ab impubere, solida nihilo minus praestentur a substituto legata. *d. §. quod vulgo.* Postremo vulgares substitutiones, accepta bonorum possessione contra tabulas, expirant. Nam bonorum possessores, loco haeredum Praetor constituit. *l. 2. de honor. possess.* Sive igitur haereditas adeatur, sive bonorum possessio accipiatur, evanescent vulgares substitutiones. Et ita non ineleganter ampliari potest. *l. post aditam 5. C. de impub. & aliis substit.*

### XXXVI. MARTIANVS Libro quarto Institutionum.

POTEST quis in testamento plures gradus haeredum facere, ut puta, SI ILLE HAERES NON ERIT, ILLE ESTO: Et deinceps, ut novissimo loco in subsidium vel servum necessarium haeredem instituat. Et vel plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singulis singuli, vel invicem ipsi, qui haeredes instituti sunt.

GOVEANVS. Ait Iureconsult. *Potest quis.*) Lex haec facilem habet sententiam. Nam lege XII. tabularum non solum institutiones, verum & substitutiones vulgares confirmantur. Quemadmodum in principio huius commentarii diximus.

Ait Iureconsult. *Plures gradus haeredum.*) Vulgariter substituendo, nam impuberis substituto pupillariter substitui non potest: nisi filius idem sit & impubes, qui substituitur. Quamvis

autem gradus facias: unus tamen duntaxat gradus haereditatem obtinere potest.

Ait Iureconsult. *Vt novissimo loco.*) Cum libertate olim: hodie sine libertate. De quo diximus ad *l. servus communis 18. b. t. Novissimo* autem loco ait Iureconsult. propterea, quod servus haeres institutus neque repudiare, neque abstinere potest. *l. necessariis 57. de acquir. haered.* Quare *necessarius haeres* appelletur, & quae necessariorum differentiae sint, superius scripsimus.

### XXXVII. FLORENTINVS Libro decimo Institutionum.

*VEL singulis liberis, vel ei, qui eorum novissimus morietur, haeres substitui potest. Singulis, si neminem eorum intestato decedere velit: Novissimo, si ius legitimarum haereditatum integrum inter eos custodire velit.*

GOVEANVS. Ait Iureconsult. *Si neminem eorum intestato decedere velit.*) Sine haerede testamentario.

Ait Iureconsult. *Novissimo, si ius legitimarum, &c.*) Hinc sequitur, ipsos fratres neque directo, neque per fideicommissum invicem esse substitutos: inter quos legitimae haereditates servari dicantur. Sane qui novissimus decedet rogatus restituere, de sua duntaxat

portione restituenda rogatus intelligitur, intra quam consistit fideicommissum. De quo plene scripsimus ad *l. eum qui sive, si eius. ad Treb. 34.* Idem dicendum, si pater filiis institutis ita per fideicommissum substituat, *SI AMBO SINE LIBERIS DECEDANT.* Novissimus enim rogatus de sua duntaxat portione intelligitur, non etiam de fratris portione, quae ad eum lege rediit.

### XXXVIII. PAVLVS Libro singulari de secundis tabulis.

*Qui plures liberos habet, potest quibusdam substituere. Neque utique necesse habet omnibus, sicuti potest nulli substituere. Ergo & ad breve tempus aetatis substituere potest: ut puta, SI FILIVS MEVS INTRA ANNUM DECIMUM DECESSERIT, TITIVS EI HAERES ESTO: SI POST DECIMUM, INTRA DECIMUMQUARTVM, MAEVIUS HAERES ESTO.*

GOVEANVS. Ait Iureconsult. *Ergo & ad breve tempus.*) Et filio post id tempus decedente, non admittitur substitutus. Nam iis verbis, *SI INTRA DECIMUM ANNUM*, non solum tempus, verum & conditio continetur. *l. si cui legetur 49. §. hoc legatum. 2. de leg. 1. l. si Titio 22. quand. di. leg. ced.*

Ait Iureconsult. *SI FILIVS MEVS INTRA X. AN. &c.*) Intra id tempus alii, quam impuberi directo substitui non potest: per fideicom-

missum sane potest. Itaque substitutiones, quae hodie fiunt extraneis, vel filiis puberibus hoc modo, *SI INTRA CERTVM TEMPVS DECESSERIT, SVBSTITVO*, vel *SI SINE LIBERIS DECESSERIT, SVBSTITVO*, iuris auctoritate non nituntur. Hodie tamen errore eorum, qui ius interpretati sunt, valent iure fideicommissi, quasi verbum *SVBSTITVO* obliquum etiam sit. De quo diximus in principio *commentarii huius.*

### §. fin.

Ait PAVLVS. *Si a patre institutus, rogatusque haereditatem restituere, coactus a fideicommissario adierit: quamvis caetera, quae in eodem testamento relicta sunt,*

sunt, per eam aditionem confirmantur, (ut legata & libertates) secundas tamen tabulas non oportet resuscitari, destituto iam iure Civili testamento, CERDIBIVS (CERVIDIUS) SCAEVOLA noster dicebat. Sed plerique in diversa sunt opinione: quia & pupillares tabulae pars sunt prioris testamenti. Quo iure utimur.

**G**OVEANVS. Pater filium impuberem, haeredem institutum, rogavit de restituenda Sempronio haereditate, si impubes decederet. In quod fideicommissum constat patris duntaxat facultates venire. De quo dicemus ad *l. cohaeredi* 41. §. cum filiae 2. infra eod. Eidem filio Seium pupillariter substituit: ad quem bona filii cum quarta bonorum paternorum ex substitutione pervenire possunt. Filius suspectam haereditatem dixit. Postulante fideicommissario iussu Praetoris sese immiscuit. Per eam immistionem secundae quoque tabulae confirmantur. Quae

fili aditio (nam aditionis nomen generale esse, & immistionem quoque significare docuimus ad *l. moribus* 2. §. adeo 1.) ad restitutionem haereditatis paternae necessaria non est. *l. ita tamen* 27. §. si a patre 4. ad Trebel. Cum filius haeres sit necessarius, & patre mortuo statim haeres fiat. *l. 1. §. praetermittere* 2. si quis omissa causa testam. Ad confirmationem autem secundarum tabularum, & eorum omnino, quae in testamento relicta sunt, necessaria est. Ita enim demum filius institutus ex testamento haeres fit, si se immisceat. *d. §. praetermittere.*

XXXIX. IABOLENVS Libro primo ex posteriorib. Labeonis.

Cum ex filio quis duos nepotes impuberes haberet, sed alterum eorum in potestate, alterum non: & vellet utrumque ex aequis partibus haeredem habere: & si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: Ex consilio LABEONIS, OFFILII, CASSELLII, & TREBATII, eum, quem in potestate habebat, solum haeredem fecit: & ab eo alteri dimidiam partem haereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit: quod si is, qui in sua potestate esset impubes decessisset, alterum haeredem ei substituit.

**G**OVEANVS. Avus, qui nepotes duos impuberes alterum in potestate, alterum emancipatum habebat, cum ad utrumque aequas partes bonorum suorum vellet pervenire, & si quis ex iis impubes decessisset, ad alterum eius portionem transferre: ex consilio LABEONIS patris, OFFILII, CASSELLII, & TREBATII, nepotem, quem in potestate habebat, solum haeredem fecit, & emancipatum ei pupillariter substituit. Emancipato autem nepoti sub hac conditione legavit mediam partem haereditatis, non bonorum, cum in suam tutelam pervenisset. Quibus verbis cum insit conditio (uti superius docuimus ex *l. si Titio* 22. quando di leg. ced.) decedente ante XIII. annum emancipato, in familia relictus totam haereditatem obtinet: ac rursus decedente intra pubertatem eo, qui in familia relictus est, ex substitutione ad universam haereditatem admittitur emancipatus. Itaque utrumque est testator consequutus, ut & partibus aequis nepotes haereditatem obtinerent, & altero intra pubertatem decedente, eius portio ad alterum rediret. Emancipato quamobrem pupillariter avus non substituerit, in aperto est. Verendum autem

non fuit, ne emancipatus quasi praeteritus ageret de inofficioso: cum a patre praeterito querela non detur. *l. si proponas* 23. de inoffic. test. Eo autem de inofficioso non agit praeteritus a patre, quia remedium aliud habet, bonorum videlicet possessionem contra tabulas, quam Praetor dat, tam suis praeteritis, quam emancipatis. Sane praeteritis a matre, quia bonorum possessio contra tabulas non datur. *l. illud* 4. de bon. possess. contra tab. necessarium est remedium querelae inofficiosi testamenti. Illud quoque verendum non fuit, ne emancipatus bonorum possessionem contra tabulas peteret. Petens namque contra tabulas impuberis privaretur substitutione. *l. is, qui.* 22. supra eod. *l. 3. de his, quib. ut indig.* *l. filium* 5. §. omnibus 2. & §. non solum 4. de leg. praest. Tutum itaque est ab omni parte quatuor Prudentum consilium. Ex quo quamvis emancipatus haeres non fiat, tamen dominus fit mediae partis bonorum, & dominus iustus ac legitimus. Nam ex causa legati iusta dominia transferuntur, uti scribit VLPPIANVS in Institutionibus, *ti. de dominiis & acquis. rerum* Dubitet porro quis, quamobrem Prudentes avo non consuluerint, ut per fideicommissum utrumque utrique substitueret nepotem: cum praeser-

tim retentio ex S. C. nulladum esset introducta. Et putem, Iureconsultos respondisse ante ius fideicommissorum constitutum ab AVGVSTO. Eum enim primum auctoritatem fideicommissis dedisse constat. Fructus autem medii temporis dubium non est ad eum pertinere, a quo relictum legatum est. Vti enim iam diximus, legatum hoc conditionale est, CVM IN SVAM PERVENERIT TVTELAM, quae conditio

quemadmodum accipi debeat, scribit Iureconsult. in *l. cum filio 50. de legat. III.* Fructus autem percepti ante diem legati cedentem ad legatarium non pertinent, neque sane in fideicommissum veniunt. *l. in fideicommissariam. 18. ad Trebel.* nisi testator roget restitui, quicquid ad haeredem pervenerit. *l. Balista. 32. ad Trebel. l. 3. §. cum Pollidius 3. de usur.*

### §. I.

Ait Iureconsult. *Filio impuberi in singulas causas alium atque alium haeredem substituere possumus veluti, ut alius, si sibi nullus filius fuerit haeres: & alius si filius fuerit haeres, & impubes mortuus fuerit, haeres sit.*

GOVEANVS. De sententia huius paragraphi scripsimus ad *l. iam hoc iure 4.* sola voluntas testatoris, vel expressa, vel intellecta obstat constitutioni DIVI MARCI: ut in hoc casu, filio impuberi testator duos dedit substitu-

tos in casus diversos. Nullum DIVI MARCI constitutioni, voluntas testatoris locum reliquit.

Ait Iureconsult. *Si filio nullus, &c.)* Nullus dixit Iureconsult. pro NON, ut in *l. 1. de haer. vel act. vend.*

### §. fin.

Ait Iureconsult. *QVIDAM quatuor haeredes scripserat, & omnibus haeredibus praeter unum substituerat: unus ex illis, cui non erat quisque substitutus, ut ex caeteris alter vivo patrefamiliās decesserat: partem eius, cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere OFFILIUS & CASSELLIUS responderunt: quorum sententia vera est.*

GOVEANVS. Moriente instituto vivo testatore, factaque quasi caduca institutione, substitutus in primum locum evadit: & ad deficientem portionem una cum reliquis primis haeredibus admittitur: simul enim omnibus haereditas defertur. Post testatorem autem mortuo

instituto a primis haeredibus in portione deficientis substitutus praevertitur, utpote quibus haereditas ante defertur. Neque interesse puto, vivone an mortuo testatore pars deficiat. §. *huius* sententiam. ad *l. si pater 25.* attigimus. Quamne olfecisse quidem ACCVRSIVS videtur.

## XL. PAPINIANVS Libro XXIX. Quaestionum.

*Causa cognita impubes arrogatus decessit, quemadmodum legitimis haeredibus auctoritate principali prospicitur vinculo cautionis: ita, si forte substituat naturalis pater impuberi, succurrendum erit substituto. Nam & legitimis haeredibus futuris non aliae, quam utiles actiones praestari possunt.*

GOVEANVS. Arrogationes per populum fieri solitae per Principem fieri coeptae sunt, translata in eum populi potestate. De quo diximus ad *l. moribus 2.* Neque vero passim in alienam potestatem redigitur paterfamiliās, sed causa co-

gnita. *l. nec aliter 18. de adopt.* Nam & de re arrogatoris & existimatione, & proposito arrogandi quaeritur. Illud item quaeritur, num satius sit liberis arrogatorem dare operam. Causae autem cognitio eorum praesentiam desiderat, ad quos ea res potest pertinere. *l. nam ita Divus 39.*

de adopt. l. in causae 16. §. causae 2. de minori. Quin & datis fideiussoribus cavet arrogator, si impubes decedat, bona se iis restitutum, ad quos pervenissent, si impubes arrogatus non esset. Quae cautio sive satisfactio ideo exigitur, ne de morte impuberis lucrum ullum & compendium sperare possit arrogator. Finiturque ea cautio pubertate. l. haec satisfactio 20. de adopt. Quo remedio & legitimis haeredibus, & ante eos substitutis, si quos forte ei pater naturalis dederit, consulitur: ipso namque iure ad arrogatorem arrogati bona pertinent, ad quem omnia secum transfert arrogatus: & capite minutus, neque legitimus, neque testamentarium

haeredem habere potest: sed & praetermissa cautione, adhuc tamen in arrogatorem Praetor utilem actionem dat. Quid ad substitutum arrogati perveniat, docet Iureconsultus in l. sed si plures 10. §. in arrogato 6. supra eod. Illi autem, quibus cautione succurritur, in bona impuberis utiles duntaxat actiones habent: neque enim heredes sunt. Ita in l. ait Praetor 7. §. sed quod 10. de minori. utiles actiones Praetor dat iis, qui haeredes non sunt. & in l. si pater 15. §. ult. de captiv. & in l. morib. 2. §. interdum. 2. De causae cognitione & satisfactione, quae in impuberis arrogatione requiritur, scribit Imperator in l. impuberem 2. C. de adopt.

### XLI. IDEM Libro VI. Responsorum.

*Cohaeredi substitutus priusquam haereditatem adiret, aut conditio substitutionis existeret, vita decessit: ad substitutum eius, sive ante substitutionem sive postea substitutus sit, utraque portio pertinebit: neque intererit, prior substitutus post institutum, an ante decedat.*

**G**OVEANVS. De sententia principii legis huius diximus ad l. si Titius 27. supra eod. si quis ita scribat, PRIMVS HAERES ESTO. SECUNDVS HAERES ESTO. SI SECUNDVS HAERES NON ERIT, PRIMVS ESTO. SI PRIMVS HAERES NON ERIT, TERTIVS ESTO. Tam primo, quam secundo tertium videtur substituire. Neque refert, an eo ordine substituatur, an vero hoc; si PRIMVS HAERES NON ERIT, TERTIVS HAERES ESTO. SI SECUNDVS HAERES NON ERIT, PRIMVS ESTO. Neque item refert, primus ante secundum, an vero post secundum decedat: utroque enim casu tertius secundo substitutus intelligitur.

Ait Iureconsultus: *Priusquam haereditatem adiret.*) Nam post aditam haereditatem expirare vulgares substitutiones constat.

Ait Iureconsultus. *Aut conditio substitutionis existeret.*) Hoc est, ante quam secundus portionem suam repudiaret, quam quia primus ad tertium non transmittit: ideo non refert, ante secundum, an post decedat, si transmitteret, referret. Qui enim ante conditionem vel legati, vel institutionis decedit, nihil transmittit. Non

idem iuris est in pupillari substitutione. Si enim, FILIO IMPVBERI, SI HAERES ERIT, FRATREM IMPVBEREM SVBSTITVAS. & FRATRI, SI HAERES ERIT, ET IN PVBERTATE DECEDAT, SEMPRONIUM. ad primi substitutionem non admittitur Sempronius, si frater fratri haeres non fuerit. l. qui habebat 47. hoc tit. Idem dicendum in hac specie: Testator filio impuberi posthumum substituit, si posthumus nasceretur, & intra pubertatem decederet, Sempronium ei substituit; non intelligitur filio impuberi Sempronius substitutus. Itaque posthumo non nato, & filio intra pubertatem decedente, legitimi haeredes pueri ad eius haereditatem, non Sempronius, admittentur. Quod consentaneum est SCAEVOLAE sententiae: de qua diximus ad l. iam hoc iure 4. Si vero, FILIO, SI INTRA PVBERTATEM DECEDAT, TITIVM SVBSTITVAS, addasque, SI TITIVS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO: SI SEIVS NON ERIT, CAIVS ESTO: verum est, non solum Titium, verum & Seium & Caium puero esse substitutos: pluribus namque gradibus impuberi substitui potest. l. quo gradu 13. supra eod.

### §. I.

Ait Iureconsultus. *Ex his verbis, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO. non aduentis portio scriptis haeredibus pro modo sibi vel alii quaesitae portionis, defertur.*

**G**OVEANVS. De sententia paragraphi huius diximus ad *l. qui plures* 23. & ad *l. sed si plures* 10. & ad *l. 3.* substitutionum harum, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT: &, EOSQUE INVICEM SVBSTITVO: eadem vis est, eodemque utraque iure censetur.

Ait Iureconsult. *Non adeuntis portio.*) Scriptis haeredibus, non etiam iis, quibus per scri-

ptos haeredes haereditas acquiritur: quales sunt haeres haeredis, pater, & dominus.

Ait Iureconsult. *Pro modo.*) De hoc diximus ad *l. sed si plures* 10.

Ait Iureconsult. *Sibi vel alii quaesitae portio- nis defert.*) Quare si filius sui iuris reperiatur existente conditione substitutionis, sibi acquirat, de quo dictum est ad *l. 3. huius tituli.*

## §. II.

Ait PAPINIANVS. CVM filiae, vel nepoti, qui locum filii tenuit, aut post testamentum coepit tenere, parens substituit: si quis ex iis mortis quoque tempore non fuerit in familia, substitutio pupillaris fit irrita.

**G**OVEANVS. Quidam libri habent cum FILIO. Pandectae Florentinorum habent FILIAE. & ita ACCURSIVS legit; quam lectionem si sequimur, necesse est, in parte ista iuris, inter filiam & filium differentiam aliquam fuisse, quemadmodum & in illo filius a filia & nepote differabat, quod filius trina mancipatione de potestate exhibat, uti scribit CAIVS libro 1. *Institutionum.* Filia autem & nepos, & qui deinceps sequuntur, unica mancipatione. *l. certum* 8. §. *ulti. de iniusto test.* Sic enim locus is restituendus est. In illo item filius a filia & nepote differabat, quod praeteritio filii iniustum faciebat testamentum: filiae vero & nepotis non item: uti scribit VLPPIANVS in *Institutionibus sub titulo qui haered. instit. poss.* Scribit & Imperator lib. 11. *Instit. de exhaer. liber.* Hodie quoque a nepote in illo differt filius, quod filius sub omni conditione non recte instituitur, nepos autem recte. *l.*

*suus* 4. *de haered. institut.* in illo item, quod filio in quartam fructus non imputat. *l. iubemus* 6. *C. ad Trebell.* de quo scripsimus ad *l. in fideicommissariam* 18. *ad Treb.* Si autem legimus filio, sententia huiusmodi erit, substitutionem pupillarem irritam fieri, si filius vel nepos tempore mortis testatoris sui iuris reperiatur: quemadmodum e contrario irrita fit pupillaris substitutio, si morte testatoris impubes paterfamilias non fiat; de quo scripsimus ad *l. moribus* 2. quo in loco dicebamus, non solum filio impuberi, sed & nepoti, & pronepoti pupillariter substitui posse: neque requiri ad pupillarem substitutionem, ut sit suus is, cui pupillariter substituitur: satisque esse, si sit in potestate: verum ad hoc, ut nepoti, quem pater antecedit, tuto pupillariter substituas, debere & nepotem institui ex formula *legis Velleiae*, ne praeteritus quandoque rumpat testamentum succedendo.

## §. III.

Ait PAPINIANVS. QVOD si haeredem filium pater rogaverit, si impubes diem suum obierit, Titio haereditatem suam restituere, legitimam haeredem filii salva Falcidia cogendum patris haereditatem, ut ab impubere, fideicommissum post mortem eius dato restituere placuit; nec aliud servandum est: cum substitutionis conditio puberem aetatem verbis precariis egreditur; quae ita locum habebunt, si patris testamentum iure valuit, alioquin si non valuit, ea scriptura, quam testamentum esse voluit, codicillos non faciet, nisi hoc expressum est: nec fideicommissum propriae facultates filii tenebuntur. Et ideo, si pater filium exhaeredaverit, & ei nihil reliquerit, nullum fideicommissum erit. Alioquin, si legata vel fideicommissa filius acceperit, intra modum eorum, fideicommissum haereditatis a filio datum, citra Falcidiae rationem debebitur.

## S V M M A R I V M.

1. Quae h. l. sit sententia?
2. Eveniente conditione fideicommissi, legitimus pueri heres cogitur restituere patris hereditatem, salva Falcidia.
3. Fideicommissum nec universale nec particulare a filio exheredato relinqui potest.
4. Quid iuris, si ab impuberis substituto fideicommissum relinquatur?
5. Quid, si ab legitimo impuberis herede?
6. Quid tandem, si filio impubere, a quo intra pubertatem decedente fideicommissum relictum est, pater pupillariter substituat?

[1.]



OVEANVS. Aut locus hic mutilus est, aut particula, QVOD, redundat, qua dempta non minus bene stabit sententia, quae huiusmodi est: Si filium impuberem haer-

dem institutum pater roget de restituenda hereditate, si impubes decedat, legitimus haeres filii haereditatem patris restituat ex *Trebelliano*, & actiones transferet. *l. quamvis. 40. l. si eius pupilli 2. §. si quis rogatus 2. ad Trebel.* In quartam autem, quam ex se retinet, fructus medii imputabuntur. *l. in fideicommissariam 18. ad Trebell.* hodie non imputantur, si filius rogetur restituere. Ex eo autem, quod retenta *Falcidia*, hoc est, *Trebellianica*, haereditatem restitui ait Iureconsultus, intelligimus, filium rogatum restituere, unam duntaxat quartam detrahere. De quo scripsimus ad *leg. 1.* legitimus autem haeres pueri non aliter universam patris haereditatem restituit, quam restitueret fideicommissum particulare, a filio impubere post eius mortem relictum: utrumque enim praestabit quasi aes alienum. Et hoc nimirum est, quod ait Iureconsultus, VT AB IMPUBERE, FIDEICOMMISSO, &c. Idem erit, si verbis precariis substitutio pubertatem egrediatur, hoc est, si testator filium haerem institutum roget de restituenda hereditate, si intra xxv. annum decedat.

[2.] Eveniente namque conditione fideicommissi legitimus haeres pueri, haereditatem patris, salva *Falcidia*, cogetur per Praetorem restituere. Quae ita locum habent, & vere dicuntur, si testamentum, in quo relictum est fideicommissum, iure valuit; aliter enim non debetur fideicommissum. *l. ex testamento 29. C. de fideicommiss.* nisi ponas, ita relictum fideicommissum, ut & a successore ab intestato peti possit. Quo casu destituito testamento debetur nihilo minus fideicommissum a legitimo successore. Quae sententia est legis, *eam quam 14. C. de fideicommiss.* vel, nisi testator expresserit, velle se eam scripturam iure etiam codicillorum valere. Quod si non expresserit, ea scriptura, quam testamentum esse voluit, non valebit iure codicillorum: nec enim codicillos facere voluit. *l. 1. de iure codicill.* In hoc autem fideicommissum ab impubere relictum, vel intra pubertatem, vel post decedente, praestandum, uti diximus, a legitimo

pueri haerede, bona duntaxat veniunt testatoris: qui neque legare, neque fideicommittere nisi de suo potest: ut quemadmodum, qui filio directo substituit, bonis ipsius filii substituit. *l. sed si plures 10. §. 3. supra eod.* ita, qui per fideicommissum substituit, de suis id bonis faciat. Neque mirum, cum fideicommissa onera sint. Directo autem qui impuberi substituit, filium, uti iam saepe diximus, honorat. Quid inter fideicommissum & fideicommissariam substitutionem intersit, scripsimus *lib. 1. lect. var.*

[3.] Ex his illud sequitur, non posse fideicommissum a filio exheredato relinqui, nec universale, nec particulare, cum in fideicommissum bona duntaxat veniant testatoris. Sane si filio exheredato pater aliquid relinquat, quantum a patre accepit filius, tantum a patre rogari potest, ut restituat. *l. ex facto 17. ad Treb.* Quod si iudicium patris filius agnoverit, & legatum acceperit sibi a patre relictum, haeres pueri haereditatem restituat *citra Falcidiam* (ita enim legendum est, non CIRCA.) *Citra Falcidiam* autem restituat, quia filius exheredatus tanti legatum a patre relictum videtur aestimasse. Itaque cum pretium quodammodo filius hereditatis habeat, quam rogatus est restituere, *Falcidiam* non indicet; & haec sententia est *paraphrasi huius.* In quo, quia Iureconsultus idem de fideicommissum a filio relicto duntaxat tractat, quaeramus nos, quid iuris sit, si ab impuberis substituto fideicommissum relinquatur? Item quaeramus, quid iuris sit, si a legitimo impuberis haerede fideicommissum relinquatur? Tertio quaeramus, quid iuris sit, si filio impuberi, a quo intra pubertatem decedente fideicommissum relictum est, pater pupillariter substituat?

[4.] Ad primam quaestionem respondeo, filii impuberis substitutum rogari posse de hereditate impuberis restituenda, & ex *Trebell.* eam restitutionem fieri: haeres namque testatoris est, qui impuberi haeres existit. Aliud iuris est in exheredato substituto, qui nisi patris quoque haeres sit, rogari non potest, uti filii impuberis haereditatem restituat. *l. in ratione 11. §. ult. ad leg. Falci. & l. ita tamen. 27. §. a patre 4. ad Trebel.* Quod si pupillo cohaeres substituat, sine dubio rogari potest de impuberis hereditate restituenda. Et si abstento forte pupillo vel omitente testamenti causam, qui ex parte erat institutus, suspectam dixerit patris haereditatem cohaeres idemque substitutus, postulante eo, qui

in secundis tabulis fideicommissum accepit, adire cogetur, ex principali testamento: Et ita confirmatis tabulis pupillaribus, adire rursus ex substitutione, & restituere compelletur impuberis haereditatem. Quod si duo impuberi sint dati cohaeredes, & iidem impuberi sint substituti, alterius aditio ex principali testamento confirmationi secundarum tabularum sufficiet: Ex substitutione autem impuberis uterque adire cogetur, cum uterque rogatus sit pupillarem haereditatem restituere. Quae sententia est *l. apud Iulianum II. §. idem Iulianus 1. ad Treb.* in quo §. illud dubitari animadverto, quamobrem Praetor haereditatem institutam ex principali testamento adire cogat, cum patris haereditatem non sit rogatus restituere? ita enim fieri, ut alieni compendii causa ipse oneribus paternae haereditatis implicetur: quod minime aequum est. Ad quod respondeo, haereditatem institutam eundemque impuberi substitutam, propter fideicommissum secundarum tabularum, ex principali testamento cogi a Praetore adire, cum impubes sive ex testamento omittens, sive exhaereditatus, totam ab intestato patris obtinet haereditatem institutionibus destitutis: ut in *d. §. idem Iulianus & l. ita tamen 27. & §. a patre 4. eo tit.* Quo casu utramque simul haereditatem restituit substitutus. Quin &, si in totum pupillus abstineat, puto mortuo pupillo cogendam institutam adire ex patris testamento: non ut habeat, quod restituat: sed in id duntaxat, ut confirmatis secundis tabulis cogi rursus possit impuberis haereditatem adire & restituere: argumento sit, quod si duo impuberi dati sint cohaeredes, ii denique substituti, satis sit alterum ex principali testamento cogi adire. Pupilli autem haereditatem uterque adire compellatur. *d. §. idem Iulianus. & d. §. a patre.* Cum igitur per eam aditionem tabulae duntaxat secundae confirmen-

tur, res possessoribus non auferatur, in eum, qui ea de causa adiit, non dantur a Praetore actiones. Ita & bonorum possessio, quae datur litem de inofficioso instituere volenti, non auferit rem possessori. *l. 2. C. de inoffic. testam.* substitutum autem filii impuberis, cui nihil pater legavit, constat, non posse fideicommissum gravari: cum, uti dictum est, de suis bonis & leget & fideicommittat testator: nisi idem sit a patre haeres institutus. Is enim etiam de pupilli haereditate restituenda rogari potest. Et si suspectam dixerit patris haereditatem, cogi poterit ab eo, qui in secundis tabulis fideicommissum accepit, adire patris haereditatem. Et ita confirmatis secundis tabulis, cogetur rursus adire impuberis haereditatem, & restituere. *l. ita tamen. 27. §. a patre 4.* in quo §. illud idem quaeritur, quod in *§. idem Iulianus:* dubitari diximus.

[5.] Ad secundam quaestionem respondeo, legitimam haereditatem pueri, neque de patris haereditate restituenda rogari posse, cum filii haeres sit: neque de filii, cum in fideicommissum bona filii non veniant. De bonis, quae ipsius testatoris fuerunt, restituendis vel omnibus, vel parte, rogari posse scribit Iureconsultus in *l. si Titio pecuniam 92. §. ult. de leg. 1.* Sed hoc fideicommissum non pertinet ad Trebellianum, & pubertate finitur. *l. hoc autem. de leg. 1.* & ab exhaereditati impuberis haerede, nisi haeres institutus sit, relinqui non potest. *l. plane 94. de legat. 1.* ne si pater quidem filio exhaereditato aliquid reliquerit. *l. cum quidam 24. C. de legatis.*

[6.] Ad ultimam quaestionem respondeo, neque fideicommissarium substituto ob stare, neque hunc illi: sed fideicommissarium habiturum dodrantem paternae haereditatis, substitutum autem filii haereditatem cum quarta parte bonorum paternorum.

## §. IV.

*Ait PAPINIANVS. QVI discretas portiones coniunctis pluribus separatim dedit, ac post omnem institutionis ordinem ita scripsit, QVOS HAEREDES MEOS INVICEM SVBSTITVO: coniunctos primo loco vice mutua substituere videtur. Quibus institutionum partes non agnoscentibus, caeteros omnes cohaeredes admitti.*

**G**OVEANVS. Testator ita scripsit, PRIMVS, ET SECVNDVS EX TRIENTE HAEREDES SVNTO. TERTIVS ET QVARTVS EX TRIENTE HAEREDES SVNTO. QVINTVS ET SEXTVS EX EADEM PARTE HAEREDES MIHI SVNTO: EOSQVE INVICEM SVBSTITVO: coniunctos primo loco substituissè videtur, & utroque repudiante, tum demum reliquos cohaeredes vocasse. Itaque si primus repudiet,

secundus ex substitutione solus admittetur. Repudiante vero etiam secundo, tum demum tertius, quartus, quintus, sextus admittentur. Ratio decidendi ex voluntate testatoris sumpta videtur. Qui enim coniunguntur, in idem corpus redigi videntur. *l. unica, de caduc. tollend.* Sane si testator primo Sempronium substituat, non est dubium, quin coniuncto Sempronius praeferatur. *l. 2. §. ult. de bonor. possess. sec. tab.* Coniuncti porro non intelliguntur, quod ad  
ius



ius accrescendi attinet, qui sine parte instituti sunt, hoc modo, PRIMVS ET SECVNDVS MIHI HAEREDES SVNTO. TERTIVS ET QVARTVS EX TRIENTE MIHI HAEREDES SVNTO: nam repudiante primo, ad eius sex-

tantem cohaeredes omnes admittentur. *l. item quod Sabinus 17. de haered. instit.* Ideoque Iureconsultus dixit, QVI DISCRETAS PORTIONES.

§. V.

Ait PAPINIANVS. QVI patrem, & filium pro parte haeredes instituerat, & invicem substituerat: reliquis cohaeredibus datis, post completum assen ita scripsit: HOS OMNES INVICEM SVBSTITVO. voluntatis fuit quaestio, an commemoratione omnium, patrem & filium substitutioni cohaeredum immiscuisset: an eam scripturam ad caeteros omnes transtulisset? Quod magis verisimile videtur, propter specialem inter patrem & filium substitutionem.

**G**OVEANVS. Testator patrem & filium haeredes instituit ex certa parte, eosque invicem substituit. Ex reliquis partibus haeredes alios instituit, & ita scripsit, HOS OMNES INVICEM SVBSTITVO: generalis haec & reciprocans substitutio, ad personas patris & filii non pertinet, quos invicem speciali substitutione testator substituit. Vt enim recte notat ACCVRSIVS, generalis dispositio, ad particularem dispositionem

fere non pertinet. *l. doli clausula 119. de verb. oblig. & l. ult. de poenis.*

Ait Iureconsult. Quod magis verisimile videtur.) Adiuvat hanc verisimilitudinem, quod pater & filius persona eadem censentur. Propter quam coniunctionem, si patrem & filium, & Titium praeterea haeredes instituas: semissem pater & filius auferent, & Titius alterum semissem, *l. uli. C. de impub.*

§. VI.

Ait PAPINIANVS. Cohaeres impuberi filio datus, eidemque substitutus, legata secundis tabulis relicta perinde praestabit, ac si pure partem, & sub conditione partem alteram accepisset. Non idem servabitur in alio substituto. Nam ille Falcidiae rationem inducet, quasi plane sub conditione primis tabulis haeres institutus: tametsi maxime cohaeres filio datus, quadrantem integrum obtineret. Nam & cum legatum primis tabulis Titio datur, secundis autem tabulis eadem res Sempronio, Sempronius quandoque Titio concurrat.

**G**OVEANVS. Filium impubere pater haeredem instituit. Titium ei dedit cohaeredem, eundemque filio substituit, & ab eo legata reliquit in secundis tabulis supra dodrantem portionis impuberi filio relictae. Sive filius patris hereditate abstineat, sive haeres existat, solida legata praestabit substitutus, habita ratione totius hereditatis, & non portionis filio relictae. Nam abstinate pupillo, videtur cohaeres idemque substitutus, in solidum institutus partim pure, partim sub conditione. Quod si a filio legata in primis tabulis relicta sint, & iis non solutis impubes decesserit, eo casu distinguendum est, extiteritne filius patri haeres, an non: Illo casu ex persona pupilli,

quia ea debuerit, legata praestabit substitutus habita ratione portionis impuberi relictae. Quae si dodrantem portionis impuberis superent, Falcidiam detrahet substitutus: quamvis portionem, ex qua est institutus, integram habeat, & in ea sit quadrans omnium bonorum. Abstente vero impubere, substitutus ex sua persona legata a pupillo relicta solvet, habita ratione utriusque semissis. *l. qui fundum. 87. §. qui filium 4. ad legem Falcid.* Alius autem substitutus, quam cohaeres, Falcidiam utique inducet: Quamvis Titius filii cohaeres portionem suam integram habeat, & in ea portione quadrans sit omnium bonorum. Inducet autem Falcidiam substitutus, quasi in primis tabulis institutus: quibus secundarum legata tabularum relicta intelliguntur. *l. in*

ratione 11. §. quod vulgo 5. ad legem Falcid. argu. l. 1. quan. di. leg. ced. Quemadmodum igitur Titius & Sempronius haeredes instituti, in sua portione uterque Falcidiam inducit, ita cohaeres impuberis & impuberi substitutus, uterque in sua portione rationem Falcidiae ponit: nec alterius portio, alterius legatariis quicquam prodest; substitutum autem sublata persona filii intelligi institutum in primis tabulis, probat Iureconsultus ex eo, quod re coniuncti sint, quibus

eadem res a pupillo & ab eius substituto legatur. Pendente tamen conditione substitutionis, totum legatum interim habet, cui in primis tabulis relictum est. l. plane 34. §. si coniunctim 9. de leg. 1. Sane si ab impuberis cohaerede, & ab impuberis substituto, eadem res legata sit, legatarii nunquam concurrent, cum a diversis vindicent. l. cum singulis 11. de usufr. accresc. Plura de sententia §. huius scribimus ad l. 1. §. id quod ex substitutione 13. ad leg. Falcid.

## §. VII.

Ait PAPINIANVS. CVM pater impuberi filiae, quae novissima diem suam obiisset, tabulas secundas fecisset, & impubes filia, superstite sorore pubere, vita decessisset: irritam esse factam substitutionem placuit, in persona quidem prioris, quia novissima non decessit: in alterius vero, quia puberem aetatem complevit.

GOVEANVS. De sententia huius §. diximus ad l. si pater impuberes 25. Si pater substituatur filiis impuberibus hoc modo, EI, QVI NOVISSIMVS INTRA PVBERTATEM MORIETVR: substitutio locum non habet quandiu unus superest, quamvis pubes effectus. Licet enim prima fronte verum videatur, eum, qui impubes decessit, fratre iam pubere, novissimum intra pubertatem

decessisse, tamen non est verum, novissimum decessisse. Vtrumque autem verum esse oportet, & in pubertate decessisse, & novissimum decessisse ante, quam admittatur substitutus. Si duobus impuberibus ita pater substituatur, Si uterque impubes decesserit, nisi utroque intra pubertatem decedente non admittitur substitutus. l. pen. C. eod. de quo plene scripsimus ad l. haeredes mei. 57. §. cum ita 1. ad Trebell.

## §. fin.

Ait PAPINIANVS. NON videri vitio factam substitutionem his verbis placuit, ILLE FILIVS MEVS, SI (QVOD ABOMINOR) INTRA PVBERTATIS ANNOS DECESSERIT, TVNC IN LOCVM, PARTEMVE EIVS TITIVS HAERES ESTO: non magis, quam si post demonstratam conditionem sibi haereditatem esse substitutum iussisset. Nam & qui certae rei haeres instituitur, cohaerede non data, bonorum omnium haereditatem obtinet.

GOVEANVS. Ex parte institutus si cohaeredem non habet, iuris potestate ex asse institutus intelligitur. l. interdum 13. §. denique 2. de haered. instit. Neque enim ius patitur, ut pro parte quis testatus, pro parte intestatus decedat. Idem dicendum de eo, qui certae rei solus haeres instituitur. l. 1. de haered. instit. Nam si generaliter alius haeres instituitur, ex re certa institutus legatarii loco habetur. l. quoties 13. C. de haered. institut. Itaque si filio impuberi ex asse instituto pater hoc modo substituatur, IN

EIVS LOCVM ET PARTEM: valet substitutio perinde, ac si ita dixisset, SI FILIVS INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, TITIVS HAERES ESTO. Nam utroque modo haeres ex asse erit substitutus. Aliud iuris est in militis testamento. Ridiculum valde est, quod BARTOLVS scribit, hoc paragrapho probari posse, filium recte institutum videri, si pater ita scribat, SI FILIVS INTRA PVBERTATEM DECESSERIT: nam praeteritum hoc casu scribit Iureconsultus in l. si quis eum 16. §. ult. supra eodem.

## XLII. IDEM Libro primo Definitionum.

QVI duos impuberes filios haeredes reliquerat, ita substituit, SI AMBO MORTVI ESSENT: deinde pueri post mortem patris simul perierunt. Duae haereditates substituto deferuntur. Sed si diversis temporibus vita decedant, in haereditate novissimi pueri, eius fratris, qui ante mortuus est, haereditatem substitutus inveniet. Sed in rationem Falcidiae pueri prioris haereditas non veniet, nec substitutus amplius quam sex uncias iure testamenti desiderabit: legata quoque, quae a substituto eius filii data sunt, qui prior intestatus decessit, ad irritum recidunt.



OVEANVS. Si quis duobus filiis impuberibus ita substituit, SI AMBO INTRA PVBERTATEM DECEDANT, ei, qui novissimus morietur, substituere videtur, ut duarum harum substitutionum eadem vis sit, SI AMBO INTRA PVBERTATEM DECEDANT, SVBSTITVO, & EI QVI NOVISSIMVS MORIETVR, SVBSTITVO. *l. penul. C. eod.* Itaque si pueri simul decedant, duae haereditates ex testamento substituto deferuntur, quasi in primis tabulis ex asse instituto. *l. pater 14. §. ult. ad leg. Falcid.* Neque inter fratres legitimis haereditatibus locus est, quia neuter alteri superest. Quod si diversis temporibus pueri vita decedant, novissimi duntaxat haereditas substituto defertur ex testamento: sed in eius haereditate reperietur haereditas fratris, qui prior decessit, cui novissimus legitimus haeres extitit. Quamvis autem in novissimi haereditate fratris haereditas reperiat, nihil tamen ea res adjuvat legatarios secundarum tabularum: sed cum eis substitutus rationem Falcidiae ponet, habita duntaxat ratione semissis a patre relicti, ei, qui novissimus decessit. Nam semis eius, qui prior decessit, ad novissimum redit lege, non dispositione testatoris. Et quia in Falcidia ponenda ratio duntaxat

habetur semissis novissimo relicti, ideo substitutus *fescunciam* duntaxat iure Falcidiae desiderabit. Ita enim legendum est, non SEX VNCIAS. Et ita legitur in Pandectis Florentinorum. Quam lectionem adjuvat & *d. l. pater. §. ult.* Adjuvant & verba illa, IVRE TESTAMENTI. Nam sex uncias non iure testamenti, sed ex voluntate testatoris capit substitutus, *fescunciam* autem iure testamenti, hoc est, iure institutionis legata; quoque, quae a substituto eius filii data sunt, qui prior decessit, ad irritum recidunt. Cum enim substitutio locum non habuerit, legata in secundis tabulis relicta non debebuntur. In primis autem tabulis relicta ab impubere, qui prior decessit, ab eius haerede legitimo debebuntur quasi aes alienum. Species igitur huius legis ita poni debet: Pater filios duos impuberes, haeredes instituit primum & secundum. Primo Sempronium substituit, si ambo fratres intra pubertatem decederent: Secundo Titium substituit, si ambo fratres intra pubertatem decederent: substituisse intelligitur ei, qui novissimus decederet. Idem scribit Imperator in *l. penul. C. eod.* quam tamen ACCURSIVS ut contrariam citat sine causa. Citat & *l. pen. de iniusto testam.* quasi contrariam, nihilo maiore de causa.

## XLIII. PAVLVS Libro nono Quaestionum.

Ex facto quaeritur, Qui filium habebat mutum puberem, impetravit a Principe, ut mutuo substituere ei liceret, & substituit Titium. Mutus duxit uxorem post mortem patris, & nascitur ei filius. Quaero, an rumpatur testamentum? Respondi, beneficia quidem principalia ipsi Principes solent interpretari: verum voluntatem Principis inspicientibus, potest dici, eatenus id eum tribuere voluisse, quatenus filius eius in eadem valetudine perseverasset: ut quemadmodum iure civili pubertate finitur pupillare testamentum, ita Princeps imitatus est ius in eo, qui propter infirmitatem testari non possit. Nam & si furioso filio substituisset, dicemus, desinere valere testamentum, cum resipuisset, quia iam posset sibi testamentum facere. Etenim iniquum coepit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus. Aufert enim testamenti factionem hominis sanae mentis. Igitur etiam agnatione sui haeredis, dicendum est, rumpi substitutionem. Quia nihil interest, alium

*haeredem instituerit postea, an iure habere coeperit suum haeredem. Nec enim aut patrem, aut Principem de hoc casu cogitasse verisimile est, ut eum, qui postea nasceretur, exhaeredaret. Nec interest, quemadmodum beneficium principale intercedat circa testamenti factionem, utrum in persona unius, an plurium.*



OVEANVS. Ait Iureconsult. *Ex facto quaeritur.*) Novum & inauditum erat, patrem puberi filio testamentum fecisse: cum filiis duntaxat impuberibus substituere liceret. Recte itaque ait

PAVLVS, EX FACTO QVAERITVR.

Ait Iureconsult. *Impetravit a Principe.*) A Principe impetrari necesse erat, quod neque lege, neque moribus licebat.

Ait Iureconsult. *Vt muto substituere.*) Neque mutus, neque surdus, neque furiosus, neque prodigum testamentum facere poterat. Et furiosus quidem, quia animi iudicio caret: Mutus, quia proferre non poterat verba mancipationis & nuncupationis testamenti: surdus, quia audire non poterat verba emptoris familiae: prodigum, cui bonis interdictum erat, propterea quod ei commercium rei suae interdictum esset: Ideoque mancipare & vendere non posset familiam, hoc est, haereditatem. Et ita VLPIANVS scribit in *Inst. tit. qui test. fac. poss.* Neque ideo tamen quod mutus testamentum facere non posset, puberi muto substituere pater pupillariter poterat absque Principis permisso, aut hodie vero potest. Nam in *l. humanitatis 9. C. de impuber.* de muto nihil cavetur. Sane si mutus literas sciat, non impetrabit pater, ut pupillariter substituere possit, cui per *l. discretis 10. C. qui testam. fac. poss.* testamenti factionem dederit Imperator.

Ait Iureconsult. *Mutus duxit uxorem.*) Mutus contrahere matrimonium potest: cum aliter, quam oratione, consensus declaretur. *l. mutus 73. de iure dotium.*

Ait Iureconsult. *Post mortem patris.*) Ducta iam a filio uxore, non facile pater petiisset a Principe, ut filio haeredem dare posset: ne ominari videretur sterile & infoecundum fore filii matrimonium, cuius ipse autor fuisset.

Ait Iureconsult. *Nascitur ei filius.*) Cuius agnatione testamentum rumpi constat.

Ait Iureconsult. *Beneficia principalia.*) Beneficia privilegia appellantur. *l. ult. de const. princ.* Quae ipsos Principes interpretari oportet. Neque enim fas est, principali benignitati quemquam modum statuere. *l. Neratius 191. de reg. iur.*

Ait Iureconsult. *In eadem valetudine.*) Mutum morbosum esse scribit Iureconsultus in *l. Mutum 9. de aedil. edicto.*

Ait Iureconsult. *Vt quemadmodum Iure civili.*) Pupillarem substitutionem iuris civilis esse, superius diximus, quamvis legitima non sit.

Ait Iureconsult. *Ita Princeps imitatus.*) Neque alius imitari potuit ius pupillaris substitutionis, quae, uti iam diximus, contra legis rationem introducta moribus esset.

Ait Iureconsult. *Nam & si furioso.*) Nullam furoris intermissionem habenti. Is enim demum testamenti factionem non habet. *l. furiosi 9. C. qui test. fac. poss.* Et in hoc olim patri necessarium erat privilegium. Hodie necessarium non est: cum per *l. humanitatis 9. Cod. de impub.* ex privilegiario factum sit civile substituendi genus. Et hanc substitutionem possis hodie vel pupillarem appellare, uti in principio diximus. Quae vero filio muto, & surdo fiunt substitutiones, ex Principis privilegio fiant necesse est: neque in certum ullum substitutionis genus referri possunt. De quibus cum in *d. l. humanitatis* nihil caveatur, in consequentiam trahi ius pupillarium substitutionum non oportet.

Ait Iureconsult. *Etenim iniquum incipit, &c.*) Privilegium Principis iniquum est, quod Princeps alicui tribuit cum alterius iniuria.

Ait Iureconsult. *An iure habere coeperit suum haeredem.*) Cur legitimi haeredes iniquum non faciunt Principis privilegium, sui autem faciunt? Et dicendum est, suis auferri bona, quorum etiam vivis parentibus in possessione sunt.

Ait Iureconsult. *Nec enim aut patrem, &c.*) Si pater non cogitavit, neque Princeps cogitavit, qui nihil aliud, quam patris preces admisit.

Ait Iureconsult. *Vt eum, qui postea nasceretur.*) Removeret a successione. Id quod sine Principe facere potuisset. *§. posthumi quoque. de exhaered. liber. in Instit.*

Ait Iureconsult. *Nec interest quemadmodum.*) Sive enim permittat, ut alicui ex liberis nominatim pater substituatur, sive generaliter permittat, ut filiis puberibus mutis substituatur, valebit substitutio: patri namque tribuitur privilegium.

## §. I.

Ait PAVLVS. *Item quaero, si ita facta proponatur substitutio: Filius meus, si intra decem annos decesserit, Titius haeres esto: si intra XIII. Maevius: filius-que octo annorum decesserit: utrum Titius solus ex substitutione ei haeres erit, an & Maevius? Quia certum est, & intra decimum annum, & intra quartum-decimum annum filium decessisse. Respondi, omne quidem spatium, quod est intra pubertatem, liberum esse patri ad substituendum filio. Sed finis huius pubertas est. Magis autem est, in utroque eorum tempus suum separatim servari. Nisi contraria voluntas testatoris aperte ostendatur.*

**Q**UOVEANVS. Paragraphus hic lucem interpretis non desiderat, in quo & dubitationis & decisionis ratio aperte ponitur. Illud duntaxat notandum est: *substitutionem* a Iureconsulto appellari, quae conditionalis institutio est, nisi praecessisse intelligamus institutionem. Qui enim

ita scribit, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVM ANNV M DECESSERIT, TITIVS HAERES ESTO: Titium sub conditione instituit: substituit cum ita scribit, FILIVS HAERES ESTO. SI FILIVS INTRA DECIMVM ANNV M DECESSERIT, TITIVS HAERES ESTO. De quo diximus ad l. i. huius tituli.

## §. II.

Ait PAVLVS. *Lucius Titius, cum haberet filios in potestate, uxorem haeredem scripsit, & ei substituit filios. Quaesitum est, an institutio uxoris nullius momenti sit, eo quod ab eo gradu filii non essent exhaeredati? Respondi, eum gradum, a quo filii praeteriti sunt, nullius esse momenti. Et ideo, cum iidem substituti proponantur, ex testamento eos haeredes extitisse videri. Scilicet, quia non in totum testamentum infirmat filius: sed tantum eum gradum, qui ab initio non valuit. Sicut responsum est, si a primo sit filius praeteritus, a secundo exhaeredatus. Nihil autem interest, qua ratione secundi haeredis institutio valeat: utrum, quia ab eo filius exhaeredatus est, an quia ipse filius substitutus est.*

**Q**UOVEANVS. Filii, quos in potestate habemus, etiam viventibus nobis rerum nostrarum quodam modo domini sunt. l. in suis ii. de lib. & posthum. Vnde fit, ut ad alios haereditates nostras transferre non possimus, nisi eas prius filiis, quos in familia relinquimus, auferamus: auferendi autem una ratio est, per exhaeredationem. Itaque filio, qui in potestate est, praeterito, inutile testamentum est. l. inter caetera 30. de lib. & posthum. Quin & emancipatos, quos iure civili neque haeredes instituere, neque exhaeredare necesse erat, tamen Praetor iubebat, si non instituerentur haeredes, exhaeredari, masculos nominatim, foeminas inter caeteros: alioquin contra tabulas bonorum possessionem dabat. §. emancipatos. de exhaer. liber. lib. ii. Instit. Qui locus desumptus est ex VLPIANI Institutionib. tit. Qui hae-

red. instit. poss. Non in totum autem filii praeteritio vitiat testamentum, sed eum duntaxat gradum, a quo praeteritus est: cum in secundo, & tertio, & reliquis gradibus consistere possit testamentum. De quo scripsimus ad l. i. huius tit. Quare, si a primo gradu filius praeteritus proponatur, & secundo gradu institutus, in secundo gradu versabitur haereditas, & ex testamento filius patri haeres existet. Idem dicendum, si a primo gradu filius praeteritus sit, & a secundo exhaeredatus: secundus namque gradus valet, & in eo haereditas consistit. l. & si pepercerit 3. §. uli. de lib. & posthum. l. si filius. 75. de haered. instit. Illud enim advertendum est, quamvis primus gradus non valeat, neque ab eo haereditas deferri possit, filium tamen dici substitutum, quia secundum eum haeredem pater fecerit.

## §. fin.

Ait PAVLVS. *Julianus Longinus pater eos, quos sibi haeredes instituerat, filiis ita substituit, Quisquis sibi haeres esset. Unus ex haeredibus institutis, qui tacitam fidem accommodaverat, ut non capienti partem ex eo, quod acceperat, daret, ad substitutionem impuberis admissus, utrum pro ea parte, pro qua scriptus fuit, veniat? An vero pro ea, quam acceperat, ita ut augeatur eius pars in substitutione? Responsum, qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo haeres efficitur. Nec desinet haeres esse, licet res, quae ita relictae sunt, auferantur. Unde & ex secundis tabulis in tantum haeres esse potest, in quantum scriptus esset. Satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra legem. Quin imo & si desineret haeres esse, idem dicerem. Quemadmodum intelligendum est in eo, qui cum scriptus esset haeres, postquam adiisset haereditatem, in servitutem redactus est, & postea libertate donatus est: cui permissum est ad substitutionem venire, quae ei in testamento fuerat relicta. Licet enim haereditatem ex institutione amisit: tamen ex substitutione istam portionem, quam amisit, percepturum.*

**G**OVEANVS. Ex hac substitutione, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FILIO IMPUBERI HAERES ESTO, admittitur & qui haeres esse desinit. *l. in substitutione 31. supra eod.* Multo ergo magis is, qui haeres esse non desinit, sed rem duntaxat amisit, ut is, cui fiscus rem auferit, propterea quod in fraudem legum fidem tacite testatori accommodavit, restitutum se partem, ex eo, quod acciperet, ei, quem lex capere prohibet: quae *tacita fideicommissa* ap-

pellantur. Hic igitur & haeres ex secundis tabulis erit, & ex ea parte, ex qua haeres institutus est. Portiones namque adscriptae in institutionibus, repetitae in substitutionibus censentur: satisque in eo punitus est, in quo fecit contra legem. Illud praetereundum non est, fideicommissa tacite relinqui posse, legata non posse: ut pote quae nisi in testamento relinqui non possint, fideicommissa autem & extra testamentum, & solo nutu relinquuntur. *l. nutu 21. de leg. III.*

## XLIV. IDEM Libro decimo Quaestionum.

*Ex pupillari testamento superius principale neque ex parte, neque in totum confirmari posse, MAETIANVS scripsit.*

**G**OVEANVS. Ex pupillari substitutione pupillo etiam abstinenti succeditur, patri non succeditur, neque ex parte, si filius ex parte erat institutus, neque in totum, si ex asse. Vti namque pluribus locis docuimus, pupillaris substitutio ad bona duntaxat pupilli pertinet. Lex haec rationem illam habet, ne pupillaris substitutio

testamentum, ex quo ipsa valet, confirmare videatur. Quae eadem ratio facit, ne codicillis haereditas detur. *l. quod per manus. 10. de iure codic.* BARTOLI sane sententiam existimantis, per vulgarem substitutionem in pupillari contentam succedi testatori, vel una haec lex confutare possit.

## XLV. IDEM Libro duodecimo Responsorum.

LVCIVS Titius legitimum filium & alterum naturalem haeredes instituit, eosque invicem substituit. Titius legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit, superstite matre & fratre naturali, quem etiam cobraeredem habebat. Quaero, an haereditas eius ad Titium naturalem fratrem ex causa substitutionis pertineat, an vero ad matrem? Responsum, ad primum casum

*casum non existentium haeredum substitutionem, de qua quaeritur, pertinere. Non ad sequentem, si quis eorum postea decessisset intra pubertatem. Cum in naturalis filii persona duplex substitutio locum habere non possit. Et ideo ad matrem legitimi filii haereditas ab intestato pertinet. Aliter si eiusdem aetatis liberi instituti, invicemque substituti fuissent, tum enim altero defuncto intra pubertatem, eius successio non ad matrem, sed ad substitutum fratrem eius devolvitur.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. iam hoc iure 4.* Ex rescripto DIVORVM SEVERI & ANTONINI, reciprocans substitutio imparibus personis uno eodemque verbo facta, in eum duntaxat casum valet, quo utriusque substitui potest: cum absurdum & incongruens sit, unius eiusdemque verbi in alterius persona vim esse duplicem, in alterius vero simplicem. Quae eadem ratio decidendi est in *l. quamvis 4. C. de impub.* Si igitur filios alterum naturalem, alterum legitimum pater invicem substituatur com-

muni verbo, hoc modo, EOSQUE INVICEM SVBSTITVO: & hic quaesita haereditate impubes decedat, mater ad legitimam filii haereditatem ab intestato admittetur, sive quisvis alius pueri legitimus haeres. Neque enim in secundum casum, legitimo naturalem substituisse pater intelligitur, qui naturali in vulgarem duntaxat casum substituere poterat. Matris autem meminit Iureconsultus, quia sic ex facto contigerat, non quia sola mater ad legitimam pueri successionem admitti possit.

§. fin.

Ait PAVLVS. PAVLVS respondit, Si omnes instituti haeredes omnibus invicem substituti essent: eius portionem, qui quibusdam defunctis postea portionem suam repudiavit, ad eum solum, qui eo tempore supervixit, ex substitutione pertinere.

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. qui plures 23.* Quemadmodum substitutio facta iis verbis, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, in unius persona consistit, uti diximus ad *l. si pater filio 9.* neque ad eam haeredes eorum, qui quaesitis suis portionibus decesserunt, admittuntur, quamdiu unus aliquis ex substitutis superest. *l. si ex pluribus 9. §. alia causa 1. de suis & leg.*

haered. (sic enim locum eum intelligendum puto) ita reciproca substitutio verbo communi facta, ei soli prodest, qui eo tempore supervixit, quo conditio substitutionis extitit. Sane si substitutorum nemo superest, tum defunctorum haeredes iure accrescendi utentur. Non idem dicendum est in pluribus legitimis haeredibus: quorum cohaeredes defunctorum haeredibus in iure accrescendi non obstant. *d. l. si ex pluribus.*

XLVI. IDEM Libro tertio Responsorum.

PATERFAMILIAS primis tabulis posthumo haerede instituto, secundis tabulis, sibi vel filio, si intra pubertatem decessisset, Gaium Seium fratrem substituit: deinde Titium Gaii Seio: Postea sic dixit, QVOD si Gaius Seius frater meus primo loco substitutus, haeres mihi esset, tunc Titio fideicommissum relinquo. Quaero, cum filius patri haeres extiterit, eoque intra pubertatem mortuo, frater testatoris ex substitutione haeres sit: an fideicommissum debeatur, cum ita relictum sit, si Gaius frater suus sibi haeres extitisset. Respondi, defuncti fratrem, qui in utrumque casum institutus vel substitutus est, filio impubere defuncto, ea, quae testator reliquit, praestare debere. Nec adversari haec verba, Quod si Gaius Seius mihi haeres erit, tunc dari volo; cum verum sit, eum testatori haeredem extitisse.

**G**OVEANVS. Si testator Seio, quem sibi & filio impuberi substituit, Titium porro substituat, & a Seio, si sibi haeres sit, Titio fideicommissum relinquat: sive patri, sive filio haeres Seius existat, Titio fideicommissum debetur. Nam & qui filio ex pupillari substitutione haeres extitit, mihi quoque videri potest haeres extitisse.

De quo scripsimus ad *l. 1. huius tit.* locisque aliis compluribus. Aduvat hanc sententiam illa praeterea ratio, quod secundarum tabularum legata & fideicommissa de patrimonio testatoris praestari intelliguntur. De quo plene scripsimus ad *l. in ratione 11. §. quod vulgo 5. ad leg. Falcid.*

#### XLVII. SCAEVOLA Libro secundo Responsorum.

*Qui habebat filium & filiam impuberes, instituto filio haerede, filiam exhaeredavit. Et si filius intra pubertatem decessisset, filiam eidem substituit. Sed filiae, si ante, quam nuberet, decessisset, uxorem suam, item sororem suam substituit. Quaero, cum filia pubes prior decesserit, deinde frater eius impubes, an filii haereditas ad uxorem & sororem testatoris iure substitutionis pertineat? Respondi, secundum ea, quae proponerentur, non pertinere.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. Coheredi 41.*

#### XLVIII. IDEM Libro singular. Quaestion. publice tractatarum.

**SERVVM** communem habemus: Hic haeres scriptus est: Et si haeres non sit, Maevius illi substitutus est. Alterius iussu dominorum adiit haereditatem, alterius non. Quaeritur, an substituto locus sit, an non? Et verius est, substituto locum esse.

**G**OVEANVS. Si servus substitutum non haberet, altera portio, portioni per servum quaesitae alteri domino accresceret. *l. servus communis 67. de acqui. haered. l. cogi. 16. §. si servo. 10. ad Trebellian.* Verum substitutio potentior est iure accrescendi, uti multis locis ostendimus. Cum igitur servus communis haeres instituitur, vicem

plurium personarum sustinet, quibus pro dominicis partibus acquirit. *d. l. servus.* Vnde fit, ut si servo communi proprietates legetur, inter dominos non sit ius accrescendi. *l. & Proculo 20. de leg. 11.* Quamvis in usufructu secus sit. *l. 1. de usufruct. accresc.* Idque propter propriam & peculiarem usufructus naturam, quemadmodum a nobis scriptum est in libro *de iure accrescendi.*

#### §. I.

**Ait SCAEVOLA.** Titius haeres esto. Stichum Maevio do lego. Stichus haeres esto. Si Stichus haeres non erit, Stichus liber, haeresque esto. In hac quaestione in primis quaerendum est, utrum unus gradus sit, an duo. Et an causa mutata sit substitutionis, an eadem permaneat? Et quidem in plerisque quaeritur, an ipse sibi substitui possit? Et respondetur, causa institutionis mutata, substitui posse. Igitur si Titius haeres scriptus sit, & si haeres non sit, idem haeres esse iussus sit: substitutio nullius momenti erit. Sed si sub conditione quis haeres scriptus sit, pure autem substitutus est, causa mutatur. Quoniam ex institutione deficere potest conditio, & substitutioni locum afferre. Sed si extiterit conditio, duae purae sunt. Et ideo nullius momenti erit substitutio. Contra, si pure quis instituitur, deinde sub conditione sibi substituitur: nihil facit substitutio conditionalis: nec



mutata intelligitur: quippe cum, & si extiterit conditio, duae purae sunt institutiones. Secundum haec proposita quaestio manifestetur, Titius haeres esto. Stichum Maevio do lego. Stichus haeres esto. Si Stichus haeres non erit, Stichus liber, haeresque esto. Nos dicimus, quando eodem testamento & legatus sit Stichus, & libertatem accepit, praevalere libertatem. Et si praevalet libertas, non debet legatum. Et ideo iussu legatarii non posse adire haereditatem. Ac per hoc verum est, Stichum haeredem non esse. Et ex sequentibus verbis libertatem illi competere: cum unus gradus videatur. Quid ergo si non adierit Titius? Incipiet ex substitutione Stichus liber & haeres esse. Porro quamdiu non adiit iussu legatarii, nec ex causa legati intelligitur legatarii esse effectus. Et ideo certum est, illum haeredem non esse. Ac per hoc ex his verbis, si haeres non erit, Stichus liber, haeresque esto, Stichus liber & haeres existet. Hoc autem, quod sentimus, IULIANVS quoque in libris suis probat.



**O**VEANVS. Ad §. huius intellectum tria praemittenda sunt. Primum, si servus legatus instituitur, haereditatis huius dies adita demum haereditate cedit, quemadmodum & legati servo legato relictis. *l. haeredis aditio 7. quando di. leg. ced. l. unica. §. libertatibus 6. de caduc. tollen.* Alterum, cum servus legatus haeres instituitur, verba haec si HAERES NON ERIT, hunc duntaxat casum recipiunt, si alium haeredem non fecerit: Id quod per §. hunc manifeste probatur. Tertium, cum servo legato libertas eodem testamento adscribitur, libertatis causa praevalet, & legatum ademptum intelligitur. Secundum haec, de proposita specie consideremus, TITIVS HAERES ESTO: STICHVM MAEVIO DO LEGO: STICHVS HAERES ESTO: SI STICHVS HAERES NON ERIT, STICHVS LIBER, HAERESQVE ESTO. Ex hac scriptura a Titio haereditate adita, Stichum ex causa legati peteret Maevius, nisi Stichus liber esse iussus esset. Quare iussu Maevii adire Stichus haereditatem non potest: Et per hoc verum est, Stichum haeredem non esse. Ideoque ex sequentibus verbis Sticho libertas competit; uti enim in principio posuimus, verba haec, SI HAERES NON ERIT, quae in servo alieno plures admittunt casus, *l. paterfamilias. 40. de haeredi. instit.* servo proprio legato & instituto, hunc duntaxat recipiunt intellectum, si legatarii iussu non adierit. Titio autem non adeunte, ex substitutione Stichus liber & haeres esse incipit. Neque verendum est, quia ex institutione Stichus libertatem consequi non potest, non adeunte scilicet Titio, ne legatarii factus interim Stichus intelligatur. Neque enim legatarii Stichus fieri non potest ante, quam adeatur haereditas. Stichus autem ipse nisi legatarii iussu adire potest. Iubere porro legatarius qui potest nondum dominus effectus? Certus itaque est, non adeunte Titio propter hanc iuris inexplicabilem perplexi-

tatem, Stichum ex institutione haeredem non esse, quemadmodum in superiore casu propter libertatem eodem testamento adscriptam. Quare ex iis verbis, SI STICHVS HAERES NON ERIT, STICHVS LIBER, HAERESQVE ESTO, liber & haeres erit. Ad ea, quae in proposita specie SCAEVOLA quaeri solere scribit, num gradus unus sit, & num causa institutionis in substitutione mutetur? sic respondeo: Duos esse gradus, cum Stichus legatus instituitur, & sibi substituitur. Prope enim esse, ut cum alii acquirat haereditatem, alii substitutus videatur. Qui si legatus non esset, unum duntaxat gradum faceret institutus, & sibi substitutus. *l. sed si plures 10. §. ult. supra eod.* Verum adeunte Titio, cum libertas legatum tollat, unus gradus intelligitur, ac si testator scripsisset, TITIVS HAERES ESTO. STICHVS LIBER ESTO. Non adeunte vero Titio, duo gradus sunt, & intelliguntur: Cum hoc casu ademptum legatum intelligi nihil sit necesse, ad quod, propter iuris, quam diximus, perplexitatem, legatarius pervenire non potest, servo etiam libertate non relicta. Quaeri autem de causae mutatione in duobus gradibus nihil est necesse. In uno gradu ea quaestio necessaria est, cum citra causae mutationem, nemo sibi utiliter substituat. *d. l. sed si plures.* Quo in loco unus gradus esse dicitur, sive is, qui sibi substituitur, cohaeredem habeat, sive non habeat, nisi hoc modo substituat. TITIVS HAERES ESTO. STICHVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAERES NON ERIT, STICHVS LIBER, ET HAERES, ET IN EIVS PARTEM ESTO. Illa quaestio praetermittenda non est: Quamobrem adeunte Titio, Stichus haeres non fit ex institutione: cum libertatem eodem testamento accipiat, per *l. 2. de manumis. testam.* Et respondendum est, ideo fieri, quia si Stichus haeres sit ex institutione, falsum erit, Stichum haeredem non esse. Itaque Stichus liber non erit: cum ita liber esse iubeatur, SI HAERES NON ERIT. Rursum si liber non sit, haeres esse non potest. Sequens illa

illa quaestio est, cur ex substitutione haeres non est. Et dicendum est, a Titio in hac haereditate Stichum anteverti, cum in primo gradu Ti-

tius haereditatem accipiat, in secundo Stichus. Et haec sententia mihi videtur §. huius longe obscurissimi.

### §. fin.

Ait SCAEVOLA. *Si pupillus substitutum sibi servum alienaverit, eumque emptor liberum haeredemque instituerit, numquid iste in substitutione habeat statum universum? Et si quidem pupillus ad pubertatem pervenerit, necessarius ex testamento emptori haeres existit. Si vero intra pubertatem decesserit, ex substitutione quidem liber & haeres fit, & necessarius patri pupilli, emptori autem voluntarius haeres existit.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. si servus communis* 18. *supra eod.* Summa haec est: Servum pupillo substitutum cum libertate, necessarium fieri non solum pupillo, verum etiam patri: Alienari tamen interim posse a pupillo: sed eam alienationem non obstare, quo minus eveniente conditione pupillaris substitutionis, liber & haeres necessarius fiat. Itaque a novo domino institutus, ei necessarius haeres

non fiet. Egresso sane pupillo pubertatem, novo domino necessarius haeres existit. *l. si paterfamilias* 40. *de haered. instit.* Illud praeter eundem non est, aliis in libris legi STATIM. Et sane haeredes necessarii, statim haeredes sunt mortuo testatore. *l. 1. §. praetermittere* 2. *si quis omissa causa testam.* Et haec ad titulum de vulgari & pupillari substitutione dictabat ANTONIVS GOVEANVS Valentiae Delphinatus, anno a Christo nato M. D. LV.

